UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Homilia XLIX. Feria II. Paschatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

§. 6. *Optime declarauit D. Paulus rationem qua Chriſtus de dæmone triumphauit, quem expoſuit irriſioni.*

§. 7. *Reſurgens Chriſtus de morte triumphauit, mortuam eam relinquens & conquaſſatam.*

§. 8. *Glorioſe triumphauit Chriſtus de Iudæis, eorum machinas vt fumum diſſoluens.*

§. 9. *Præfiguratus fuit Chriſti de Iudæis triumphus, in triumpho Samſonis de Philiſtæis.*

§. 10. *Impletur oraculum Iſaiæ, quod Deus diuitem procurabit ad Chriſti mortem quiſ[…] Ioſeph ab Arimathia.*

§. 11 *Hic liquido conſtat, quod ait Iſaias; dabo impios pro ſepultura Chriſti.*

§. 12. *Victoria Reſurrectionis Domini eo dirigitur, vt iuſti exultent, & cum eo hilares epulentur.*

§. 13. *Finem imponit Prædicator officio ſuo denarium Dei dans: ipſe namque eſt, quem debent Auditores reddere illum cum vſuris: vt autem hoc congruenter digneque faciant, pro illis Prædicator intercedit.*

# HOMILIA XLIX.

## FERIA II. PASCHATIS.

### Reſurrectionis Domini.

*Duo ex Diſcipulis Ieſu, ibant ipſa die in caſtellum, quod eſt in ſpatio ſtadiorum ſexaginta.* Luc. 24.

☞ I D. Ambr. Lib. de Ioſeph c. 13. in fine Tom. 1. — DOctor illuſtrimus D. Ambroſ. vocat articulum Dominicæ Reſurrectionis: *Primum & maximum fundamentum*: quia huic innititur quidquid de noſtra ſaluatione credimus: *Si Chriſtus*

1. Cor. 15. 14. — *non reſurrexit*, argumentatur Apoſtolus, *Inanis eſt fides veſtra, inanis eſt & prædicatio noſtra.* Quia vero ædificii magni fundamentum neceſſario ita collocari debet vt firmum ſit & ſecurum, ne ſuperpoſitum opus collabaſcat, Chriſtus Dominus noſter hoc ſolidare voluit, & argumentum

(a) Tan de cal ij can- 10. — conficit ita irrefragabile (*a*) vt nullum ſuperſit in hoc myſterio dubium, illis ſe viuum exhibens, qui diſtincte probeque illum nouerant, atque cum eo familiarius egerant, vt in perſona eius nullatenus deludi potuerint. Hoc Diuus Petrus teſtatur: *Dedit eum manifeſtum fieri teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus*

Act. 10. 41. — *& bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit à mortuis.* Noluit eos teſtes adhiberi, qui parum cum

I. Myſterium Reſurrectionis fi- — illo egerant, & minus conditiones eius particulares perſpectas habuerant, ſed nos, quibus ita cognitus eſt, vt cum illo conuerſati ſimus, bibe-

rimus & comederimus: & poſtquam à morti[s] reditinus ſurrexit, idem cum ipſo perſoni[s]. etenim optimum eſt in rigore iuris teſtimonium, quo perſonæ alicuius probetur identitas, quod ſæpe cum illo familiariter quis egerit, meminerit, multis annis fuerit conuerſatus: vt de vna fuit inter alias hæc Chriſti ratio quare diſcipulos ſibi conſcripſerit, totque annis in claſſe ſua detinuerit, nimirum, vt teſtes huius myſterij poſſent eſſe legitimi: prout indicat idem Apoſtolus Diuus Petrus quando proponit alium in locum Iudæ ſupponendum qui contiguus rerum omnium teſtis haberetur: *Oportet ex viris his, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis, vſque in diem qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis.* Illi ſunt qui teſtes eſſe poſſunt *Omni exceptione maiores.* Viri, qui priuſquam Chriſtus moreretur per integros cum illo annos conuerſati ſunt, à tempore baptiſmi & poſt eius reſurrectionem cum eo per quadraginta dies familiariter egerunt, donec in cœlum glorioſus aſcendit. Optime poſſunt

poſſint illi teſtari virum idem ipſe ſit, qui ipſum tanto prius tempore comites ſunt, & poſtmodũ ſua et induſtria conſiderarunt. Vnde reſuſcitatus Dominus hanc probationem edidit, ſeipſum clare & diſtincte demonſtrans talibus ſanctis mulieribus, D. Petro, D. Iacobo & illis, quos enumerat D. Lucas euntes in Emmaus, quos primo diſponit per realem veramque Sacræ Scripturæ expoſitionem, oſtendens eis juxta illarum vaticinium expediuiſſe ac neceſſarium fuiſſe pati Chriſtum, mori & reſurgere: deinde ſe diſtincte illis actionibus ſuis reuelat clarioribus, manibus panem aſſumens, benedicens, illiſque diſtribuens Eodem quoque die ad veſperam ſuo collegio apparet Apoſtolico, & hoc idem quadraginta continuo diebus perficit, ſigna monſtrans euidentia, corpus ſuum oculis obiiciens intuendum, & manibus palpandum, eo vſque vt digitos manumque totam ſacris eius infigant vulneribus. Magnum argumentum, porro adeo ſublime, licet præ oculis habeamus vt illi tendentes in Emmaus, non tamen intelligemus, niſi manum ſuam ille apponat, & gratiæ ſuæ tribuat benedictionem: hanc nobis trium Hierarchiarum Regina virgoque mater impetrabit. *Aue Maria.*

§. 1. *Quia in pſalmo ſexageſimo ſeptimo decantatur triumphus reſurrectionis Chriſti, timet fugitque diabolus, dum cantatur.*

2 QVæſtionem propoſuit Diuus Athanaſius in tractatu quem conſcripſit de diuerſis quæſtionibus: quænam ſit oratio quam diabolus præ ceteris magis exhorret & fugit & qua magis perterretur. Viri ſancti vt milites ſemper vigilant in excubiis, armis præmuniti contra Satanam, vincendi illum & proſternendi accenſi deſiderio: quocirca perpetuo media inquirunt huic maxime conuenientia: cum vero D. Atha. frequenter deſerta illa obiret Ægypti, in quibus multi milites Chriſti agebant excubias, omnes docti, & ad bella promptiſſimi, monachi ſcilicet illi ſanctiſſimi, dæmonem bello impugnantes immortali hoc illis obiecit: refert autem eorum plures dixiſſe, quod ipſe diabolus variis compulſus exorciſmis vt rei veritatem aperiret, reſponderit, hanc ſe maximopere vereri orationem, qua perterreatur & in fugam turpiter compellatur: nempe priora verba pſalmi ſexageſimi ſeptimi: *Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis ſic pereant peccatores à facie Dei. Et juſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* Qui vero doctrinam hanc D. Athanaſio propoſuit, fuiſſe dicitur Chriſtianæ militiæ dux ille celeberrimus omnium hoſtium terror infernalium Pater inclytus D. Antonius, cuius geſta vitamque D. Athanaſius conſcripſit, de quo memoriæ traditum eſt, hoc ſæpe verſu vſum fuiſſe quo cunctos in fugam compellebat.

His conformiter narrat de eodem D. Petrus Damianus Cardinalis in epiſtola ſcripta nepoti ſuo etiam Damiano, id quod aſſerit retuliſſe ſummum Pontificem D. Leonem Nonum amitæ ſuæ contigiſſe mulieri primariæ & in primis nobili. *Lib. 6. Ep. 21. ad Damian.* I. Diabolũ pſ 67. agit in fugam. Receperat illa ſe ad ſolitudinem cuiuſdam Monaſterii Monialium, vt ſe totam Deo conſecraret, & ſoli tantum orationi rebuſque ſpiritualibus vacaret, cui ſocia famula quædam adhærebat, quæ cum ſtatura paruula eſſet vocabatur ab illo Pigmæa. Hæc illi in legendis horis ſedulam nauabat operam, & præſertim mediæ noctis ſilentio: quia ad horas Matutinas de ſtrato ſurgebant, & alternatim hymnos pſalmoſque Domino decantabant, eaque intentione Dominam ſuam præfixo tempore de ſomnis excitabat. Exercitium hoc valde frequens erat antiquis Monialibus, & ſanctis primariis mulieribus. Cum igitur nocte quadam Domina hæc ſociam ſuam excitaret ad conſuetum pſalmorum decantationis exercitium nocturnumque penſum, & illam non poſſet excitare, bile quadam commota, neſcia quid diceret, inclamauit: Aſſurge diabole, & huc adeſto, Ilico diabolus aſſumpta huius pigmææ forma, accurrit, & quaſi ipſa fuiſſet incepit cum Domina pſalmodiam. Non incongrue per tranſennam aduertamus cum Diuo Gregorio nobis ſummopere cauendum ab inuocando nomine huius noſtri inimici, cum illo vocando aliquem ſiue ſeruum, ſiue ancillam: etenim adeo excitatus eſt, & diligenter nos circuit, vt ſæpe confeſtim accurrat. *Li. 3. Dialog. c. 21.* II. Exemplũ. Vnde narrat quid ſuo tempore contigerit ſacerdoti Stephano nomine ex Prouincia Valeriæ amico Diaconi ſui: qui die quodam appellans famulum, vt illi calceos detraheret, cum ille moras necteret, ait: adeſto diabole, mihique calceos extrahe: ac confeſtim ſenſit ſibi calceorum diſſolvi ligamina, ita vt non leuiter extimeſceret, certo cognoſcens ilico dæmonem accurriſſe, illoque opere occupari. Hinc ergo (monet Sanctus) nota diligentiam qua accurreret ad ſpirituale animæ detrimentum, qui velox adeo conuolat ad corporalia: *Quia in re colligi poteſt,*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*antiquus hoſtis qui tam præſto eſt factis corporali-*
*bus, quam nimijs inſidijs noſtris cogitationibus inſi-*
*ſtat.* Accurrit igitur ilico diabolus in figura pig-
mææ, & cum Domina pſalmodiam alternis ver-
ſibus decantauit. Multis illis perlectis cum ad
initium pſalmi 67. ventum eſſet, turbari cœpit,
noluitq; progredi vlterius: cum autem ipſa pri-
mum verſum inchoaret, diabolus huius verſus
efficaciam ferre non ſuſtinens, quis eſſet aperuit
horrendos edens vlulatus, & inſtar fœtidiſſimi
fumi euaneſcens, vt nec momento temporis
hæreret, diſparuit.

3 Eandem ob cauſam idem Diu. Athanaſ. litte-
ras dans amico ſuo Marcellino, præmonet illum
III. quod ſi timore augeretur, & cum machinæ dia-
Exemplũ boli perterrerent, quamuis audiret quod multi-
tudine ſuorum copioſa veniret inſtructus, illi
bellum illaturus, fortiterque impugnaturus, ne-
quaquam timeret; ſed pſalmum hunc decantan-
do cuncti in fugam ilico conuerterentur, ve-
rumque cognoſceret illud Dauidis oraculum:
Pſ.63.9. *Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum.* Sed
oritur confeſtim difficultas. Quænam obſecro
IV. myſteria verbis adeo paucis includuntur, vt tan-
Ratiocius tam inferant diabolo formidinem? Vnde verba
exponitur hæc illi ſunt ita terribilia? Ratio, quantum in el-
ligo, hæc ea eſt: quia continent myſterium Chri-
ſti Domini maxime glorioſum, eiuſque victo-
riam, qua nulla celebrior, quam de cunctis ſuis
ſolemniter retulit inimicis. Communis habet
opinio Sanctorum hunc pſalmum à Dauide
Hom.37. compoſitum, quem Chriſti Domini triumphis
decantandis conſecraret, vt alio loco diximus.
cuius in principio myſterium pſallit eius glo-
rioſæ Reſurrectionis, vt ceterorum fundamen-
D.Greg. tum, & merito quidem: vt enim notat D. Gregor.
Naz. Naz. hoc myſterium ita ceteris palmam cripit,
Orat.2.in ac clarius effulget, ſicut ſol luce ſtellas antecur-
Paſcha. rit: *Hæc nobis feſtiuitatum feſtiuitas, & celebrita-*
*tum celebritas tanto ceteris omnibus, non ſolum hu-*
*manis & humi defixis, ſed etiam iis quæ ipſius Chri-*
*ſti ſunt, ac propter ipſum celebrantur, ſuperior, quan-*
*to ſol ſtellas antecellit.* Stellæ omnes in cœlo re-
fulgent, ipſumque in tantum exornant, vt dixe-
Ecc.43.10 rit Salomon, ex illis omnem cœlo venire venu-
ſtatem, ornatuſque pulchritudinem: *Species cœli*
Da.13.56. *gloria ſtellarum.* Vox *ſpecies* pulchritudinem de-
V. notat, ea phraſi qua Daniel impudico ſeniori ex-
Similitu- probrauit: *Semen Chanaan & non Iuda ſpecies*
do. *decepit te* Speciem dicit incomparabilem Suſan-
næ pulchritudinem. Porro lux illa ſtellarum de
ſole procedit, ita vt ſole deficiente vel obſcura-
to, omnes pariter luce ſua priuarentur tenebris

obuolutæ, talis eſt autem lux ſolis, vt ſi per eius
abſentiam ſtellæ obnubilarentur, ipſo rurſum
oriente, omnes confeſtim illuminarentur.

Talis eſt Chriſti Domini Reſurrectio Vere
Domini Saluatoris noſtri cœlum dicimus for-
moſiſſimum ex ſtellarum doctrinæ ſuæ & mira-
culorum multitudine fulgidiſſimum Auſcultan
eius verba, qui paulo ante ea vilipendebant: Et
*mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore*
*eius:* ait Euangeliſta Lucas. Autem ea propter
etiam inimici: *Et mirabantur Iudæi, dicentes:*
*Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?* In-
numerabilis vidit hominum multitudo, qui
mortuum de tumulo reuocauerit, & acclamant
omnes: *Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia*
*Deus viſitauit plebem ſuam.* Adſunt cum mutis
linguam reſtituit, & ita factum admirantur,
turmatim omnes atteſtentur: *Bene omnia fecit, &*
*ſurdos facit audire & mutos loqui.* Sed etiam im-
pugnantes aiebant: *Chriſtus cum venerit numquid*
*plura ſigna faciet, quam quæ hic facit?* Inimici
eius infenſiſſimi hæc opera diſcutientes ... 
niunt ipſa adeo præclara, vt in pleno Concilio
ſummorumque Pontificum Conſiſtorio, fatean-
tur vel inuiti: *Hic homo multa ſigna facit:* ...
que hæc luce & venuſtate præcellere, vt attra-
here ſibi poſſent nedum corporis oculos, ſed
animam & cor totius vniuerſi: vnde ſic addunt:
*Si dimittimus eum ſic omnes credent in eum,* ...
eum vt Deum venerabuntur: hæc etiam ...
verbi huius emphaſis. *Credent in eum,* vt ex do-
ctrina Diu. Auguſtini colligit D. Thom. Et ipſius
rei veritatem dicere probauit euentus: ...
quidem ob excellentiam & horum ſyderum cla-
ritatem, nominatim reſuſcitationis Lazari, quod
phraſi Aſtrologica vocare poſſumus ...
magnitudinis ſydus, totus cum mundus ipſo ...
Palmarum vt Regem, Meſſiam Deumque ſuſce-
pit ingredientem Hieruſalem, acclamationibus
ſoli Deo reſeruatis: quamuis jam cum Pontifices
morti ad judicaſſent, & publico cum præcone
reum proſcripſiſſent.

Moriente Domino omnes illæ ſtellæ quæ
tenebris immergebantur & latebant obſcuræ ...
& ſibi perſuadebant inimici quod omnes eclipſi-
ne inuoluiſſent, ipſaque Eclypſi extinxiſſent, ...
oſtendiſſent nihil aliud eſſe præter ...
ſa cuationem; cum ita Saluator eorum mani-
bus cæſus occubuiſſet, credentes quod ipſe ſeipſum
rum non potuiſſet eripere poteſtati. Vnde jam
crucifixo illuſerunt, promiſſa deriſerunt, & mi-
racula exploſerunt: *Alios ſaluos fecit, ſeipſum non*
*poteſt ſaluum facere,* q. d. Quando quidem ...
vita

virtus eſſet & potentia, qua ſe defenderet, & liberaret, nullam fuiſſe ei, qua liberaſſe ſpargebatur alios, & quæcumque de illo fama vulgabatur, meras fuiſſe præſtigia. Eſt autem hoc adeo verum, vt nonnulli de diſcipulis eius in hoc offenderint: vt patet in his duobus peregrinis in Emmaus: dicunt etenim: *Fuit vir propheta potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo &c. Tradiderunt eum ſummi ſacerdotes & Principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael: & nunc ſuper hæc omnia tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt:* Quamuis enim prodigioſa eius mirati ſint opera, & doctrinam eminentiſſimam, atque mortuum illud eis ingeret de vero Meſſia fidem, in hac tamen adhuc fide vacillabant inconſtantes: *Nos autem ſperabamus* q.d. Fiduciam conceperamus, quam iam dimiſimus ex eo quod occiſum illum videmus, tantaque opera crucis mortiſque excepiſſe ſupplicium, quo Principes noſtri illum affecerunt: hoc etenim eos rapit in admirationem nigrumque oculis eorum peplum obducit, quo iudicium obtenebratur: *Nam ſuper hæc omnia.* Videre illum alligari, condemnari, crucifigi & mori, multum corda noſtra perturbauit: attamen rima a nobis remanſit qua lumen adhuc intrabat illud ſcilicet quod reſurrecturum ſperabamus: hoc autem non experimur. Quocirca tanta noctis obrepſit caligo, vt quæcumque hactenus præclara fecit Eclypſim paſſa ſint obſcuriſſimam. Nec hoc miretur aliquis: cum, ſicut heroiciſſimus, Chriſtus Dominus voluerit, vt opera ſua lucem ac claritatem acciperent ex Reſurrectionis ſuæ fulgore ac gloria: idcirco illa contemnentes, & deſpicientes ad Reſurrectionis ſuæ remiſit miraculum, quaſi dicens illis hoc Prophetæ (vt ait D.Bernard.) *Exſpecta me in die Reſurrectionis meæ.*

Luc. 24. 19. 21.

Mortuo Domino & ſepulto videbantur omnes ſtellæ caligine ac tenebris obfuſcatæ: porro eſſulſit myſterium ac glorioſus Reſurrectionis Dominicæ triumphus, vt ſol ſereniſſimus, & quod ſtellas illas operum ac miraculorum Chriſti hoc egit, quod ſol cum ſtellis ageret, quæ eius abſentia tenebras induiſſent videlicet ortu ſuo illis reddere claritatem ac ſplendorem quod in ceteris rebus omnibus, agit, de quo Spiritus Sanct. *Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius.* Quam primum ſol oriens luminoſque diffundit radios omnia colluſtrans, quæcumque illo occidente tenebris iacebant inuoluta, & rurſum videre licet roſam narciſſum, lilium, prata, arbores fructiferas, turres excelſas & inſignes, etenim eo modo quo ſubtracto ſole cunctis nigrum obducit pallium, ita ipſo remeante & oriente cuncta clarius illuſtrantur.

Pſal. 3. [illegible] — Eccl. 42. 16.

Materiæ, qua conceptum proſequamur argumentum nobis adminiſtrat D. Cyrill. Alex. perpendens illud Dei mandatum, quo Moyſi præcepit: ſi altare de lapidibus feceris non ædificabis illud de ſectis lapidibus, id eſt diuiſis, aut diſſectis: per hoc ſignificans opera Chriſti qui diuinum altare dicitur, non eſſe diuidenda, nec ſumenda ſola vel per ſe ea quæ humilitatem eius pœnaſque concernunt: vt Iudæi faciunt & Gentiles, etenim hoc tantum conſiderant quod vita vixerit modo tali, captus fuerit, cæſus, crucifixus & mortuus, vnde Chriſtum aſpernabantur. Ne precor, hæc opera à ſe mutuo diſiungas: ſi namque mortem eius attenderis, & eius reſurrectionem attende: quem ſi cruci affixerint ignominioſæ, de ſepulchro tamen cum gloria reſurgit immortalis. Ne hoc ſolum ſumpſeris, ſed *Exſpecta me in die reſurrectionis meæ.* Hoc (ipſo D.Cyrill. auctore) indicauit D.Ioan. his verbis: *Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* Ne myſterium Reſurrectionis, à morte ſeparaueris, & aurem porrige verbis Apoſtoli: *Si crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei.* Eſt igitur myſterium & inclytus Dominicæ Reſurrectionis triumphus reliquorum omnium fundamentum, & idcirco Dauid illud ſtatuit anteſignanum, & collocat vt petram fundamentalem ceterorum; ac cum tanti Principis eſt inſignia prædicaturus encomia, hic eius eſt prologus: *Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius &c.* cuius diabolus non ignorat celſitudinem, qua proſtratus, ligatus, confuſus victuſque elanguit. hinc ſola eiuſdem facta mentio, tantiq; trophæi memoria, ſic perterret illum, vt illi non ſit animus expectandi: fugitque velociſſime.

*Lib. 9. de adora. in ſpir.* *Exod.* 20. 25.

VII. Altare de ſectis lapidibus non erigendum.

1. *Ioa.* 4. 3.

2. *Cor.* 13. 4.

## §. 2. *Tria declarat Dauid quibus triumphus Reſurrectionis Domini redditur illuſtriſſimus.*

PAucoribus hoc verbis decantat Dauid, 5
porro ita myſterioſis, vt nobis præclariſſima declaret his incluſa Sacramenta: nam idcirco Chriſtus Dominus ſpecialiter vt probaret ſuam ex SS. litteris Reſurrectionem, non tantum dixit: *Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in*

*Luc.* 24. 44.

*lege Moyſi, & Prophetis*, cum per hoc intelligere poſſet & pſalmos; ſed adiunxit *Et pſalmis*, eo quod Propheta Rex, myſterio ſingulari de illo ſcribat Chriſti triumpho. His verbis tria declarat Dauid, quibus triumphus redditur illuſtriſſimus. *Primum*: perſona eſt triumphantis; quiſnam ille ſit, quo ſtemmate oriundus, quibus potens viribus, & quibus conditionibus extollendus. Secundum: quinam ſint proſtrati & ſuperati, illi de quibus agit triumphum, vtrum plures an pauci, fortes an infirmi, nobiles an abiecti. Tertium: in cuius commodum aut gloriam cedat hic triumphus alicuius nobilis *Prouinciæ*, vel Regni. Hæc tria celeberrimos reddiderunt Ducum Romanorum triumphos illos nominatiſſimos; & hæc eadem magis quam illos omnes illuſtrem effecerunt Dauidis triumphum, vt autem ſic intelligeremus, illa Spiritus S. declarauit, quando Dauid de illo pſalmum conſcripſit.

I. Ex tribus commendatur triumphus Reſurrectionis.

II. Primo ex perſona. 1. Reg. 17. 42.

Pulchritudinem declarat triumphantis: *Erat Dauid adoleſcens rufus, & pulcher aſpectu.* Nomen *Rufus* non ſignificat pilorum rubedinem, ſed faciei, quod dicimus vernans, & exponit textus Hebraicus, in quo idem verbum eſt quo vtitur ſponſa in Canticis, quando ſponſæ deſcribens vultus elegantiam: ſic ait: *Dilectus meus candidus & rubicundus*: & ita transfert noſter Pagnin. hoc loco: *Erat puer rubicundus & pulcher*: noſter autem Cardinal. Caietan. legit: *Rubeus*: hic etenim color optime conueniens albedini, venuſtior apparet in facie, & valetudinem indicat perfectam, vires robuſtas; & quamuis multa erat Dauidis grata pulchritudo; maiores tamen erant eius vires: non enim terrenæ, ſed cœleſtes erant: idcirco arma ſumere recuſauit ſibi à Saule oblata, confidens viribus ſibi à Deo conceſſis: *Venio ad te in nomine Domini exercituum.* Declarat ſecundo & graphice proponit robur & magnitudinem hoſtis ſuperati: erat etenim gigas inſtar turris, vir proceræ ſtaturæ: *Altitudinis ſex cubitorum & palmi*, cuius hæc arma deſcribuntur: *Caſſis ærea ſuper caput eius & lorica ſquamata vtebatur: porro pondus loricæ eius quinque millia ſiclorum æris erat, & ocreas habebat in cruribus, & clypeus æreus tegebat humeros eius: haſtile autem haſtæ erat quaſi liciatorium texentium: ipſum autem ferrum haſtæ eius ſexcentos ſiclos habebat ferri*; tanta ferocitate terribilis, vt ſola ſuiipſius oſtentatione copias militum in fugam compelleret numeroſiſſimas; *Omnes*, nedum paruulos, ſeniores fractos viribus, & mulieres infirmiores, ſed, *Omnes viri Iſraelitæ cum vidiſſent virum fugerunt à facie eius, timentes eum valde.*

Cant. 4. 5.

III. Secundo ex hoſtibus deuictis.

Vnus vir, *Virum*: tot viros in fugam conuertit, *Viri Iſraelitæ*, vt nec gladium educant, nec lanceam contorqueant ſolo eius conſpectu: nec communis erat timor, ſed ingens: *Timentes eum valde.* Tandem exponit in cuius vtilitatem, & honorem ceſſerit hic triumphus, ſcilicet populi, eiuſque talis, quo mundus non habet illuſtriorem, populi Iſrael à Deo ipſo electi & honorati. Hæc eadem perpendit Dauid in triumpho Saluatoris, eaque tam ſublimiter exponit, vt eorum tantum auditus robuſtiores eius maieſtate perterreat inimicos.

### §. 3. *Supremum opus Chriſti, quo ſe Deum manifeſtauit, fuit ſuiipſius reſuſcitatio.*

PRimo: mirabiliter ac profunde exponit quis ille ſit Triumphator quibus viribus, quibus polleat qualitatibus: *Exurgat Deus.* Quis ſuſcitatur Deus eſt, & omnes vires, ſunt diuinæ: hic enim triumphus tantus eſt, vt omnes illæ vires ad hoc requirantur & atomo illis deficiente talis ſequi non poterat effectus. Vnde præcipuum opus à Chriſto patratum, quo ſe Deum verum eſſe confirmauit, fuit hoc, quo ipſe ſeipſum à mortuis reſuſcitauit rediuiuum. Poteſt vtique homo viuus diuina confortatus virtute alterum reſuſcitare mortuum, vt Elias filium Sareptanæ: *a* Eliſeus filium viduæ. *b* Diuus Petrus viduam in Ioppe. *c* Diuus Paulus adoleſcentem in Troade. *d* & non ſolum hoc, ſed mortuus potuit reſuſcitare mortuum, vt patet in cadauere Eliſei: cum eius ſepulchro aliud inferretur cadauer, quam primum hoc Prophetæ cadauer contigit cadauer, illico in pedes ſurrexit rediuiuum. Vnde de Propheta hoc maxime dixit Salomon: *Mortuum prophetauit corpus eius*, quod de caſu prædicto intelligit, & mirifice verba extollit Eliſei ſanctitatem, vnde dicitur prophetaſſe. Hoc ſatis frequenter cernimus in corporibus mortuis SS. vt eorum reliquias applicantibus nedum infirmi ſanitatem, ſed aliquando mortui vitam adipiſcantur: quia hoc ipſi non operantur vt cauſæ principales, ſed Deus ob præſentiam illorum SS. cadauerum ad non vulgarem eorundem gloriam.

Porro ſeipſum jam mortuum ad vitam reuocare, nulla poteſt virtute fieri. *Licet diuina* ſit *virtute* mortuus ille purus ſit homo: quia ſeipſum demortuum ad vitam ſuſcitare, operatio eſt & actio viui, non mortui

quia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quam abſque principio vitali heri dicimus impoſſibile:cum autem mortuus in ſe tale non habeat,omnino illi eſt impoſſibile ſeipſum reſuſcitare: quocirca opus hoc nequit exercere: niſi ille qui taliter mortuus eſt,vt pariter in ſe vitam habeat,& viuat, quod Deo proprium aſſignatur. Familiari declaratur hoc ſimilitudine. Nobiles duo verbis inter ſe rixantur, comminantur, ſtringunt gladios, ſinguli manu hac gladium, & illa vaginam complectuntur: hic alterum pugione ferit vt in terram mortuum proſternat in manu hac gladium, altera retinens vaginam. & ipſe occiſor viuus ſupereſt & incolumis, Magnum diſcrimen inter hos duos eſſe cernitur:qui namque mortuus in terra iacet, omnimodo impoſſibile eſt, vt reducat gladium in vaginam remiſſurus etenim principium non habet vitale quo brachia mouere poſſit & gladium in vaginam remittere. Nullo negotio valet alter viuus ſeipſum mouere,& brachiis gladium immittere, ſed opus hoc brachio non adſcribetur, ſed nobili, qui cum ſuperſtes ſit, ſurgere poteſt & gladium in vaginam remittere, licet in terram deciderit, quia in ſe principium habet vitale, ex quo tales profluunt actiones. Commune axioma eſt animam eſſe in corpore ſicut gladius eſt in vagina, quã gerit & ſuſtinet ille qui viuit. Mori hunc, animamque de corpore diſcedere eſt eam euaginari. Quando homo purus moritur,& anima à corpore diſceſſit velut de vagina gladius, fieri nequit vt ille idem reuertatur eam reducturus: quia moritur homo, & illa perſona, quæ gladium hunc & vaginam complectebatur, concidit autem homo ſine vita exanimis,& ipſa perſona mortua. Vnde etiam quando Rex aut Princeps,aut alius quilibet moritur, corpus quidem ab vna parte remanet, & anima ab altera, porro perſona ipſa per mortem deſtruitur, & iam non eſt amplius. Ex quo definit Theologia, ſecundum Philoſophiæ regulas, quod hodie nec audit, nec viuit, nec eſt perſona D. Petri, D. Pauli &c. etiamſi realiter viuant eorum animæ in cœlo, & eorum corpora in terra honorentur: nec eorum erit perſona, vſque in diem generalis Reſurrectionis: tunc etenim virtute diuina per vnionem animæ cum corpore perſona

III.

reſtituabitur. Ceterum in Chriſto, quando mortuus eſt,licet egreſſus ſit gladius de vagina, manſit tamen perſona viua, quia erat perſona diuina Verbi æterni, quæ quamuis ſecundum humanitatem mortua ſit, viua tamen manſit & omnipotens, ſecundum diuinitatem.

D. Baſil. & D. Didymus verba Dauidis admirati ſunt, quibus Verbum diuinum inſtanter rogauit, vt in mundum venire dignaretur noſtram humanam aſſumens naturam ad noſtri redemptionem, quod ait ſumpta metaphora de viro nobili, qui gladio ſe cingens fortis in arenam deſcendit alium liberaturus: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.* Gladium dicit ipſam humanitatem: nam vt dictum eſt, ad formã gladij continet animam in corpore. Notant prædicti PP. videri ſuperfluum quod ait vt gladium accingat *Super femur ſuum*: etenim omnibus obuium eſt eum qui gladio ſe cingit, illum non ſuper aures, non ſuper collum, vel nares, vel humeros, ſed ſuper femur accingere. Porro præclarum hic aduertunt myſterium: nam per hoc Dauid explicare voluit illud Incarnationis filij Dei myſterium, poſtmodum futurum, noſtra aſſumpta humanitate per veram generationem, non communem ſed fortem & omnino mirabilem: quia in Sanctiſſimis litteris femur carnalem denotat generationem. Vnde (dicunt illi Sanctiſſimi) quando Abraham miſit Oeconomum ſuum Eliezer, vt negotia matrimonij filij ſui Iſaac expediret, voluit vt impoſita manu ſuper femur ſuum, velut ſuper aram ſacram præſtaret iuramentum, generationem ſignificans per quam Deus ex ſua ſtirpe erat carnem aſſumpturus. Vnde poſtulabat Dauid, vt Verbum æternum veram ſibi vniret humanitatem per veram generationem,ſed mirabilem, & potentiſſimam: *Potentiſſime*, hoc eſt, abſque maritali opera, qua in caſtiſſimæ Virginis vtero conciperetur.

Daniel Barbarõ.

Pſ. 44.4.

IV. Quid per femur exponatur.

Præſcius agnouit Dauid venturum in mundum Dei verbum gladio humanitatis nos liberaturum, vnde rogat & inſtat vt gladio ſuo ſuper femur accingatur potentiſſime. Congrua eſt hæc conſideratio: porro & aliam annectamus propoſito noſtro magis conuenientem, ſuper illud quod notat Origen in SS. litteris per femur ſignificari robur, vires & fundamentum: quocirca petere vt gladium accingat ſuper femur ſuum, aliud nihil eſt, quam inſtare, vt eo modo aſſumat humanitatem vt innitatur, fulciatur, & fundetur in ſua ipſius diuina natura, & potentiſſima diuinæ perſonæ ſubſiſtentia, quatenus prœlium ingreſſus ſuæ paſſionis, ipſe idem eſſet qui gladium euaginaret, quo perſequeretur & deleret inimicos, & idem ipſe eſſet, cuius perſona diuina viua, & integra poteſtate permanente rediret, gladium in vaginam propria virtute reuocaturus. In nobis fundatur gladius noſtræ humanitatis ſuper femur perſonæ

Ho. 27. in Gen.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

noſtræ, cum autem illa ſit infirma, debilis & corruptibilis ad primam gladij eductionem, deſtruitur: vnde illi perſonæ omnino eſt impoſſibile reuerti, vt eam denuo in vaginam recludat. Porro gladius humanitatis Chriſti, ita fortiter diuinæ perſonæ innitebatur, vt numquam ab ea diſceſſerit: & ſicut hæc perſona tanta viget potentia, ipſa fuit, quæ gladium eduxit, & de vagina protulit.

V. Chriſtus ipſe poſuit animam ſuam.

Non eſt tui vel mei ſimilis; non enim noſipſi gladium educimus foras, nec animam de corpore extrahimus, ſed huic eam elicit inimicus, illi glans plumbea, altera febris, alij gladius &c. Porro Chriſto animam non eduxerunt inimici, non tormenta: quantumlibet enim hæc grauia fuiſſent, & illi quidlibet effeciſſent, ſi ipſe renuiſſet, mortuus minime fuiſſet; ſic namque

Ioa. 10. 18.

proteſtatur his verbis: *Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo &c. Et poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Hoc innuit Euangeliſta, quando ipſam mortem Chriſti ſic deſcribit: *Emiſit ſpiritum.* Ipſe illum emiſit & eduxit; nobis autem educitur & euellitur vel inuitis, iuxta illud Dauidis:

Pſ. 145. 4.

*Exibit ſpiritus eius:* & nullus ea præualet poteſtate quando caput illi amputatur, vel ab infirmitate ad vltimam deducitur metam, qua animam ſuam in corpore retineat: ſic enim audio Spiritum Sanctum

Eccl. 8. 8.

aſſerentem: *Non eſt in poteſtate hominis prohibere, ſpiritum, nec habet poteſtatem in die mortis;* at Chriſto poteſtas ad omnia fuit eminentiſſima.

Imo & ipſe videtur hoc agnouiſſe Centurio vir in ſtringẽdis gladiis exercitatus: quandoquidem Chriſtum cernens exſpirantem modumque conſiderans quo moriebatur; hanc veridicam emiſerit confeſſionem: *Verè filius Dei erat iſte.*

Marc. 15. 39.

VI. Vnde Centurio Chriſtum eſſe Deũ agnouerit.

Nullo negotio bellis aſſueti dignoſcunt quiſnam fortis ſit pollenſque viribus, ſi tantum videant eum educentem gladium: etenim vecors & imbellis animi gladij ſtringendi inexpertus hac occaſione turbatur, animus illi languet, color immutatur, feruor frigeſcit; porro robore animoque præditus, tali furore manum adijcit gladio, vt inde cunctis cordis illius magnanimitas innoteſcat. Nos vt ignaui & elumbi ad euaginationem animæ de corpore, toti metu percellimur, & timore obrigeſcimus, ſenſibus deſtituimur, loquela intercipitur, vt vires non ſint vel vnico verbo exprimendo; verumtamen in Chriſto tantus fuit animus tantumque robur, vt illa hora extrema clamorem ediderit vehementem, eo plane modo, quo Dux robuſtiſſimus, qui pariter manum adijcit gladio, & ita hoſtem ita vociferatur vt eum in terram proſternat & ſuperet. Hoc Centurio conſiderans quando Chriſtum adit ſic exclamantem, ex quo colligit diuinam hic latere virtutem.

Chriſtum igitur attende morientem: quamuis enim gladius extra vaginam foras eductus ſit, & altera pars ab alia longe diſtet, porro diu, vt perſona viua, ſua virtute ac fortitudine manu vna gladium & altera vaginam complectitur: licet enim anima longe diſtaret à corpore, itaque ab vna parte corpus iaceret in tumulo, & ab altera parte anima eſſet in limbo, attamen quamlibet earum ſuſtentabat perſona Verbi æterni: vtramque enim partem ſibi copulauit vnione hypoſtatica, & vtramque ſuſtentabat ſubſiſtentia ſua diuina, iuxta commune illud Theologiæ axioma ex Diuo Damaſceno: *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Vnde Diuus Thomas Theologiæ ſecretorum ſcrutator profundiſſimus ſic ait: corpus Chriſti mortuum idem fuiſſe quod viuum; quia mortuum idem habebat eſſe quod viuum ob ſubſiſtentiam diuinam; eadem enim perſona quæ dabat illi viuenti & animam in ſe habenti, eſſe: etiam dabat illi poſtmodum mortuo, eſſe. Manens igitur perſona diuina, vires habet & potentiam vt reuertatur gladium in vaginam reducere; ſi namque homo fuerit, fuit & Deus. Et (ut cum Apoſtolo loquar) *ſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei.* Hoc igitur expreſſit Dauid illo verbo: *Exurgat Deus.* Mortuus eſt homo, ſed attende quod eſſe habeat Dei, qui vt propria virtute reſuſcitatur.

*§. 4. Opus hoc Iacob eleganter deſcripſit ſimile leonis.*

Qvam accurate declarauit hoc Patriarcha Iacob in illa benedictione quam impertiuit filio ſuo Iudæ, vt communi ſuffragio adſtipulantur omnes SS. Doctores Diuus Ambroſius *a.* Diuus Auguſtin. *b.* Diuus Chryſoſtom. *c.* Diuus Gregor. *d.* Cum eum ſui præſentem haberet, languentibus ac caligantibus eum corporis oculis intuitus, & licet corporalibus illuſtratis, mentis tamen aciem vna ſide illuminatam adhibuit, & ſpiritu plenus propheticо Chriſtum intendit ex familia eius naſciturum: *De Iuda ortus eſt Dominus noſter,* ait D. Paulus: *Ad prædam aſcendiſti fili mi, & requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit*

ſcendiſti ꝗ? Quam egregie eum delineat! Primo vocat eum catulum leonis, vt notant præſtan PP. vt diuinam filij Dei declaret naturam veramque eſſe diuinum, quod illi Pater ſuus æternus dedit per æternam generationem: ſicut enim catulus filius eſt leonis, & hoc ipſo verum continet eſſe leonis, veramque naturam leoninam: ſic Verbum æternum *Rex ex Rege proceſſit* (inquit D. Ambr. & Eccleſia:) *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*. Quia vero dicturus erat Arius, quod ſicut catulus, licet filius ſit leonis, minor tamen eſt leone patre ſuo: ita Chriſtus cum filius eſſet catulus, minor erat Patre, hanc præueniens cum D. Ambr. propheta calumniam, quem primo dicit *Catulum leonis*, quo vere filium eſſe demonſtraret, ilico vocat eum perfectum integrumque leonem *Accubuiſti vt leo*, quo declaret æqualitatem in perfectione naturæ, & in cæteris omnibus cum Patre. Dicitur etiam ab illo Catulus leonis, ad viuam illius magnarum expreſſionem: etenim iuniores leones viribus præditi ſunt inſignioribus; vnde vt vires exprimat eius qui Samſoni occurrit, ait de illo Spiritus S. *Catulus leonis ſæuus & rugiens occurrit ei*. O fili mi robuſte, fortis & magnanime, inquit Iacob: *Ad prædam aſcendiſti*.

Ecce quam neruoſe crucis exprimat aſcenſū: illam etenim aſcendit prædam acturus de totius mundi cordibus, de dominio, imperio & authoritate qua diabolus eam tyrannide ſupprimebat. Hoc ipſum Saluator confirmat: *Nunc princeps huius mundi ejicietur foras: & ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*. Spectat, vt opinor, Apoſtolus hoc ſtratagema: *Expolians principatus & poteſtates &c.* quam diues, quam opulenta deprædatio. Quis effecit, vt totus orbis Chriſto ſubderetur, colla que illi ſubmitteret? Vt nomen eius extolleretur ſuper omne nomen, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, niſi ſublimis ille in crucem aſcenſus? *Dicite in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno*. Sublatus in altum, *Dormiens accubuiſti vt leo*: Ipſe ſe ad ſomnum compoſuit, ſomnum inquam mortis: *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à meipſo*. Quod paulo ſuperius diximus, illum ipſum fuiſſe, qui gladium euaginauit. Et qualiter ſe ad quietem mortis compoſuit? *Vt Leo*. Notant de leone naturaliſtæ, quod dormiat apertis oculis: quia prægrandes habet, quos palpebræ nequeunt cooperire, & quamuis palpebræ maximæ ſint, illos non valent obſcurare: quo circa ſemper eius oculi luci exponuntur, etiam dum requieſcit. Oculi ſemper ſymbolum fuerunt diuinitatis potiſſimum apud Ægyptios, vbi Iacob morabatur, vt proſequitur D. Cyrill. a. & probat Pierius: b. quia Deo proprium eſt omnia videre, cunctaque cognoſcere. Ea de cauſa nonnulli ſuſtinent Dei nomen quod Græce dicitur θεός deriuari à θεᾶν id eſt videre: hoc etenim Deo proprium credimus omnia videre & illuſtrare vnde declarant illud aliqui de lapide illo oſtenſo à Deo Zachariæ, quod ſeptem haberet oculos: *Septem oculi ſuper lapidem*: ad diuinitatis per oculos expreſſionem, & per numerū ſeptenarium (qui in S. eloquio plenitudinem deſignat & vniuerſitatem, vt exponunt SS. PP. nominatim autem D. Gregorius) quod in Chriſto plenitudo eſſet diuinitatis, hoc eſt vera natura diuina, cum omni plenitudine eſſentiæ ſuæ & perfectionum, quod ait vnico verbo D. Paul. *In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Dormiuit Chriſtus vt Leo: quia licet prægrandes fuerint infirmitatis humanæ palpebræ, tribulationum, tormentorum, & mortis: non tamen cooperire vel obſcurare valuerunt eſſe diuinum, nec vel minimum potentiæ diuinitatis eneruare: & in ipſa morte ſcintillæ lucis emanabant, per quas oculi illi detegebantur. Centurio & cohortis ſuæ milites ſpectaculo adſtantes illos explorarunt, dicebantque: *Filius Dei erat iſte: Vere hic homo iuſtus erat*. Alij *Reuertebantur percutientes pectora ſua*.

Non vacat myſterio, ſicut notat aquila illa cœleſtis, quod Dominus ſingulari præcepit & præuenit mandato ſub figura agni ne os ex illo comminueretur; quod non propter agnum, ſed propter myſterium & figuram eius quod futurum erat inſtituerat, nimirum quod in Chriſti corpore nulla omnino oſſa confringeretur, quod inter paſſionis eius miracula vel maximum cenſetur: etenim videtur impoſſibile, tot verberibus, tot colliſionibus, tot flagris, tot clauis perterebrantibus & acutiſſimis, tam immani feraque lancea, nec vnum quidem paruum ait magnum fuiſſe comminutum, cum tot tamen tantiſque ſpinis diabolica eorum peruerſitas capitis illi cranium perforarint. Ipſis autem latronibus oſſa tibiarum fortiſſima confregerunt, quibus velut columnis totum corporis ſuſtinetur ædificium: *Ad Ieſum autem cum veniſſent, non fregerunt eius crura* ſunt etenim crura, vt ait ſponſa: *Crura illius columnæ marmoreæ*. Hoc eſt fortiſſimæ, inquit D. Gregorius Nyſſen. quia per columnam fortitudo ſignatur. Non tangatur nec quidem punctum fortitudinis Chriſti; etenim eius virtus diuina eſt: non

ei

a Lib. 9. cont. Iul.
b Lib. 33.
Zach. 3. 9.
Ho. 33. in Euang.
Coloſ. 2. 9.
Marc. 15. 16. Luc. 23. 47. & 48.
III. Cur oſſa agni non potuerint cõfringi.
Ioa. 19. 33.
Cant. 5. 15.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ei vel atomus adimatur, nec tenerrimum os illi conſtringatur: hoc eſt dormire vt Leo. Capiatur, ligetur, crucifigatur, moriatur, lancea transfodiatur, ſepeliatur; & ſepulchro eius lapis molaris ſuperimponatur, non per hoc vires eius eneruantur, imo ſic conſtat viribus integer, ſicut lucidi manent Leonis oculi dormientis: *Quamquam homo ſit, qui crucifixus eſt, qui ſepultus eſt, qui clauſus tumulo, quem lapis appoſitus cohibet, tamen quæ foris aguntur, oſtendunt filium Dei, ſol fugiens, tenebræ ingruentes, terra commota, velum ſciſſum, ſaxa diruta, mortui ſuſcitati, Angelorum miniſteria, quæ Deum probabant*, inquit D. Hieron.

D. Hier. In c. 28. Matth. Tom. 6.

Porro latet hic & aliud myſterium: *Dormiens accubuiſti vt Leo.* Mortuus ſe ipſum non poteſt excitare; quia in ſe animam vitamque non habet quæ ſit actiuum huius operis principium; imo ex hoc capite nihil ab illo ſperes amplius quam corruptionem; porro ille qui viuus remanet, ipſe ſe ad quietem componit, ipſe ſomnum capit, & de illo ipſo naſcitur: ita vt ſi ille non eum capiat, nullus ei deforis hunc illi poſſit tribuere: & quamuis dormiendo perdat ſenſuum vſum exteriorum corporis, attamen ſicut interius vita remanet & anima, hæc operatur per calorem naturalem & vitalem; & decoquens vapores ad cerebrum aſcendentes teipſum tuo ſomno ſuſcitas, vnde ais: ad tertiam vel quartam horam excitaui me: Talem exſpecto donec expergiſcatur. Et hoc ſeipſum excitare magis proprie conuenit Leoni: etenim nullus eſt tanta præſumens audacia, qui Leonem audeat ſuſcitare vel mouere dormientem. Idcirco de Chriſto dicitur, quod ipſe ſe ad quietem compoſuerit, ipſeque mortis ſomnum acceperit *Ego dormiui & ſomnum cepi.* Quod ſi hoc ex ipſo non oriretur velle ſomnum hunc capere, impoſſibile foret ipſum eo adducere: fuit autem hic ſomnus Leonis: quia nemo poterat eum excitare, niſi ipſe ſe excitaſſet: nam captato ſomno mortis, & obdormiſcente eo quantum ſufficiebat ad veræ mortis ſuæ confirmationem, ipſe eſt qui ſeipſum excitat rediuiuum: *Exurgat Deus.* Ipſe ſeipſum ſuſcitat, & de ſepulchro prodit immortalis: hoc enim ſepulchro eius Angelus inſcripſit Epitaphium: *Surrexit, non eſt hic.*

IV. Chriſtus ſeipſum à ſomno excitauit.

Pſ. 3 6.

Qua de cauſa dicere potuit. Vates Euange-
10 licus: *Erit ſepulchrum eius glorioſum*; quibus verbis triumphum hunc explicat glorioſum. Diuinæ plane ſunt rationes quas hic PP. adferunt, ob quas dixerit Propheta ſepulchrum eius fore glorioſum, D. Hieronymus hanc adfert: *Quia ſepultura Domini locus ab omnibus eſſet honorandus.* Diuus Cyrillus opinatur Prophetam indicaſſe ſubſannationes & ignominias Chriſti duraturas vſque ad mortis opprobrium: ceterum eo momento gloriam eius incipiendam, & ipſo Patre eum honorandum per hoc quod cæli contraxerunt lumen ſuum, ſol obſcuratus eſt, terra tremuit, petræ ſciſſæ ſunt, Centurio confeſſus eſt, ipſi ciuitatis incolæ reuertebantur percutientes pectora ſua: potiſſimum autem cœpit illum Pater honorare ſepulchro maxime glorioſa: quandoquidem ſepulchrum fuerit nouum, illuſtre, vnguentis aromaticis, odoribuſque fragrantiſſimum &c. Sed hoc euidenter exponit tranſlatio Septuaginta, quam declarat Diuus Chryſoſtomus imo ſignificat Apoſtolus humiliationem ad vſque mortem acceſſiſſe: *Vſque ad mortem, mortem autem crucis*: quia quod ipſam inſecutum eſt, ad eius tetendit gloriam & exaltationem: cum illuſtres illi viri Ioſeph & Nicodemus ſedulo procurarunt, vt digno honore in tumulo reconderetur.

Iſa. 11. 11

Attamen aliam proferamus rationem propoſito noſtro conuenientem. Nullum mauſoleum quantumuis illuſtre, diues, pretioſum, & elaboratum, dici poteſt hoc nomine glorioſum, quod non viliori ſordeat ignominia, quam gloria coruſcet illuſtriori, licet ſit marmoreum, æreum parioque lapide conſtructum. Quantumuis ſit illuſtre, ſemper huic hoc adſcribitur Epitaphium: hic iacet talis: & illud: Hic iacet; eius denotat infirmitatem: nam proſtratus iacet, victus, extenſus: & lapſus, quem mors in ſepulchro captiuum detinet, & vinculis conſtrictum, quem mors depaſcit, quoque ipſa paſcitur. Attamen Chriſti mauſoleum toto ore, cunctiſque manibus prædicatur glorioſum: non enim fas eſt illi hoc inſcribere Epitaphium: hic iacet: ſed: *Surrexit, non eſt hic.* Si cecidit, ſua voluntate à morte proſtratus, vires tamen illi tales remanſerunt, quibus illam inſurgens & conuerſus, ipſamque ſic victam relinquens, ſeu interficiens, vitam ipſe ad auras produxit adeo floridam, vt ſemper de morte triumphaturus: etenim *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Ecce Deum de morte triumphatorem: eſſe nequit illuſtrior, robuſtior, ditior, potentior, formoſior, excitator. Hoc cantat Eccleſia.

Ita

*Ille qui clauſus lapide,*
*Cuſtoditur ſub milite,*
*Triumphans pompa nobili,*
*Victor ſurgit de funere.*

## §. 5. *Excellentiſsime per Reſurrectionem Chriſtus de diabolo triumphauit, quem ita confregit, vt ipſemet D. Antonio teſtatur.*

IAm vidimus triumphatorem, potentem adeo & fortem, vt non ſit qui comparetur ei: cum verus ſit Deus. Videamus quinam ſint illi, de quibus triumphum agit: num populus ſit elumbis fractuſque viribus infirmus. Indubie ſunt omnium potentiſſimi & fortiſſimi, quos mundus contremiſcit, illi qui cunctos deſpiciebant, & in triumphum ducebant arrogantiſſimi: *Diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus deficiant &c.* Proh quanta paucis verbis myſteria! litteras ipſas excedunt. Duo fuerunt genera aduerſariorum, de quibus triumphum retulit: quidam dicuntur inimici, quos ipſe vt tales habebat: *Inimici eius.*
I.
Alii à quibus odio habebatur: *Qui oderunt eum:* quamuis enim hæc videantur poſſe conuerti, eſſe inimicum tuum, & te odiſſe; tamen multum intereſt diſcriminis: etenim nomen inimici eſt relatiuum, vnde in rigore tantum illis conuenit, qui ſe mutuo reciproce odio perſequuntur & execrantur. Attamen verbum odiſſe non eſt relatiuum ſed tantum alterius denotat partis actionem, quocirca inimici Chriſti proprie notantur illi, qui Chriſtum execrantur, & quos Chriſtus execratur, & habent reciprocam inter ſe contrarietatem. Illi ſunt duo, diabolus & mors: idcirco Chriſtus diabolum appellat abſolute inimicum: *Inimicus homo:* & mors à Diuo Paulo dicitur: *Inimica mors,* & à Michæa: *Inimica mea.* Qui Chriſtum abominati ſunt, Iudæos eſſe dicimus: nam illi Chriſtum vt ipſam mortem execrati ſunt, ſed non ipſe Iudæos. Hoc ſuppoſito, tres ducti ſunt in triumphum diabolus, mors & Iudæi. Hoc igitur expendamus.
II.
Primo: de diabolo triumphum egit, quem nominatim venit ſuperaturus. O quam fortem aduerſarium! *Fortis armatus,* dicitur à Chriſto fortem ſuperari ab inermi, arduum hoc est in primis & difficile, vt patet in Samſone: nam cum ſibi perſuaderent Philiſthym, quod eum de facili ſuperare poſſent, vtique nudum armis, ipſe tamen aſini mandibula mille eorum interfecit: fortem autem viribus, armiſque præmunitum, quis aggredietur? quis ſuperabit? *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei;* Dominus Iob aſſeruit, poſtquam illum deſcripſerat in figura balænæ per ſingula membra, potentiam eius, cor audaciam, animum; & hic totum ita ſibi tyrannice ſubiugauerat vniuerſum, vt Domino Deo in faciem impudenter obiecerit: *Circuiui terram & perambulaui eam:* quia ſecundum phraſim Hebraicam, imo etiam prophanam indicat ſe totius eſſe terræ Dominum, quoque vt talis per orbem ambularet, ſicut in domo ſua vel horto; per illum figuratus draconem, quem Deus audiuit in fluuio magno jacentem in hæc arrogantia verba prorumpentem: *Meus eſt fluuius.* Iob. 41. 24. Iob. 1. 7. Eze. 29. 3.

Mors ſimiliter tantis erat prædita viribus ac potentia terribilis, vt ab exordio mundi, ne vel vnus manus eius euaſerit immortalis quem ipſa non proſterneret: *Omnes morimur* (ait ſapientiſſima illa Thecuitis) *Et quaſi aquæ dilabimur.* Quo momento quis in vtero concipiebatur, imo antequam naſcebatur, jam mors ſuam in illum extendebat juriſdictionem. Hinc factum eſt vt tanta ſuper omnes valeret poteſtate, vt quemadmodum ait D. Paul. *Regnauit mors, &c. etiam in eos qui non peccauerunt:* quæ verba his conformiter expendit D. Hieronym. O quam fortes inimici. Illos optime comprehendit, junxitque Dauid illis verbis: *Inimici eius:* quia inter vtroſque plenus de hominibus diuiſus erat triumphus morti ex parte corporis, diabolo ex parte animæ & hoc ita generaliter, vt quam primum quis erat in vtero conceptus, & eſſe habebat, illum mors vt ſuum propter corporis mortalitatem capiebat: diabolus autem animæ manus propter peccatum injiciebat. Erat que hoc ita vniuerſale, ſicut ipſe Dauid manifeſtat: *Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferi?* Nullus euadere poterat manus fortiſſimorum Ducum illorum, nec gigantes, nec Reges, nec juſti, nec Prophetæ, nec Patriarchæ, etiamſi fuiſſent Abraham, Iſaac, Iacob, Iob, & Dauid: mors de illis triumphabat, quantum ad corpus, & diabolus ex parte quantum ad animam: etenim quantalibet vigerent ſanctitate, illos vt captiuos ſuos in limbo detinebat, eo modo quo S. Scriptura loquitur, vocans Patres illos juſtos in limbo, captiuos, imo & ipſe Dauid eos appellat ipſam captiuitatem: *Captiuam duxit captiuitatem.* Quem locum D. Paulus explicat. Eratque hæc captiuitas juſtum originalis peccati ſupplicium, toti naturæ commune per quod diabolus principium accepit dominii in totum
III. Mortis potentia. 2. Reg. 14. 14. Rom. 5. 14. Epiſt. 3. ad Heliodo. Pſ. 88. 49.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

genus humanum, vt SS. Patris exponunt, nominatim D. Aug. *a* D. Hier. *b* & multo ſingularius D. Gregor. *c*

a Ser.137. de temp.
b Epiſt.3. de morte Nep.
c Lib. 29. Mor. c.7.

Hos igitur potentiſſimos inimicos Saluator noſter deuicit, atque de illis modo triumphauit eminentiſſimo ac glorioſiſſimo, illos nimirum diſſipando: *Diſſipentur inimici tui. Diſſipare*. Proprie ſignificat quod dicimus eneruare, quando ſcilicet aliquid ſuis viribus deſtituitur & animoſitate.

12 Vas habes vino redundans fortiori; cuius vel vnico hauſtu caput turbetur, homoque humi proſternatur etiam fortiſſimus: vno menſe relinquit apertum aeri expoſitum, deferueſcit, ita vt vigor ille fortior conſumatur, roburque exhaletur, vt jam nequeat aut turbare caput, aut corpus alterare: quamuis autem in colore & apparentia vinum ſit, non tamen tale eſt ſi vigorem attendas, & eſt aquæ puræ ſimilius. Alia littera legit. *Confringantur*. Tunc aliquid frangi dicitur quando ipſo in ſuo eſſe remanente, vires illius pereunt, ſicut dum alicui oſſa confringuntur. Diximus Chriſti os nullum fuiſſe confractum: quia nullatenus euerterunt, aut diminuerunt virtutem vireſque eius diuinas: porro ipſe cuncta dæmonis mortiferæ oſſa, nullo relicto confregit, vt neutri vires roburque ſuperfuerint. Non conſumpſit, nec in nihilum redegit Chriſtus diabolum, qui viuit, & in æternum viuet ad grauius ſui tormentum, & juſtum ſuæ culpæ ſupplicium, attamen illi vires eneruauit, & his ita corpuit imbellis, vt ille cui confracta ſunt oſſa, & comminuta.

Lib. 33. Mor c.14.
IV. Diſſipare quid ſignificet.

Eleganter, ſic notat D. Gregor. dixerat Deus Iob, cum in figura deſcribens Ceti, qui Rex eſt maris, piſceſque turmatim degluiit, & ſupponens poteſtatem eius eſſe maximam, cui conferri non poterat alia terræ quælibet: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei*: dicit, quod cetum hunc grandem ſit deriſurus, beſtiamque hanc terribilem exploſurus, atque vt talem velut paſſerem ligaturus, ita vt quamuis fera ſit ita terribilis & indomita, poſſent etiam puellæ teneriores omnium maxime timidæ cum illa ludere, eique illudere, velut cum paſſere fune alligato: *Numquid illudes ei quaſi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?*

Iob.40.24

Inter ceteras aues vultur carniuoracitate excellit, eſtque ferocior: vngues etenim habet acutiores, quibus viſcera perrimetur, & roſtrum quo rupes etiam penetret. Qui venatur illum, fruſtum carnis eſcam ei proponit tendicula opertum ferrioſi. Carnem aſpiciens illam ſæpius circumuolat & quaſi ſibi ſecuram tutamque pelliceret, tandem ſe demittit, vngues illi inicit, prædamque colligit; porro ſoluitur tendicula, & capitur, poteſtque illum auceps ac tute comprehendere & ſicut de facto comprehendit, vngues abſcindit, roſtrum præſcindit, & ipſum tradit puerulis illudendum: quocirca vulturem nedum non reformidant aut exhorrent, ſed etiam ei exſibilant.

Phraſi communi S. Scripturæ dicitur diabolus auis: hoc illi nomen Abacuc impoſuit in Hebræo *Reſeph*: vt enim aduertit. D. Hieron. ... ſignificat auem. Imo & Chriſtus in parabolis ... minant: expoſuit paſſeres ſeu aues cœli ... cum ſurripientes, eſſe dæmonia. Vultur ipſe ... vngues habens acutiſſimos, & roſtrum ſolidiſſimum, talibuſque pollet viribus, vt ipſe Dominus Iob dixerit: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei*: Studet illum Deus comprehendere, ea intentione carnem aſſumit noſtræ humanitatis, per hanc laqueum abſcondens, & ... tem pedicam ſuæ diuinitatis, hanc oculis ... ribuſque objicit rapiendam. Ille eam conſpicit attentius eam intuetur & olfacit: vtrum ... Deus ſit, aut non ſi Deus quomodo plorat? ſi non quomodo ab Angelis adoratur? ſi Deus quomodo cum peccatoribus conuerſatur & quid vnus ex eis baptizatur? ſi non: qualiter illi cœli aperiuntur, & Pater eum filium ſuum ... tur? &c. Tandem hanc illi carnem obiicit ... randam, dum ait: *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*. Exponit ſe vultur diſcrimini, & temerarius infelix vt illam ſibi prædam arripiat, ... guibus illam impetit, ſemorum ſuorum miniſterio Iudæorum. O quam fortiter illos ... ò quam atrociter capit illum, ligat, ... figit ignominioſæ! porro prodit diuina ... vt fortiſſima pedica, illaq; ipſum comprehendit, pedes alaſque conſtringit: etenim per mortem Chriſti, vires eius eneruatæ ſunt contritæ ſunt, diſſipatæ ſunt ipſe vero comprehenſus, illaqueatus, & illigatus: *Quaſi morſus ... illuſus (ait D. Greg.) diuinitatis eius laqueum perculit, dum humanitatis eius eſcam momordit.*

Quam primum Chriſtus exſpirauit, & anima egreſſa eſt de corpore, manifeſtum ... eſt diuinitatis laqueus fortiſſimus, virtutemque cognouit diuinam, fugam cœpit ad cauernas ... ripere tartareas, & horrendo regens ... illas ingreditur, ſociis ſuis acclamans, ... que quæ Dauid præcinerat verba repetens: *Rex virtutum dilecti, dilecti, & ſpeciei domus diuidere ſpolia*. Illud *dilecti, dilecti*, ſumito vt ... uus, quaſi duces ſocios appellet infernales ... ci, amici eſtote vobis, caueter adeſt ...

Domini

Dominus virtutum, omnia direpturus domus noſtræ ſpolia eaque pulcherrima, quibus ſuam carnem: etenim ipſe nobis robore potentior domum noſtram ingreditur nos ligaturus, & opima quæque ſpolia fur aque ſublaturus. Illum Redemptor noſter inſequitur, & deſcendit, & ecce confeſtim tota illa dæmonum damnata colluuies gemitus edidit horrificos, iuxta illud Eccleſiæ:

*Gemens infernus vlulat,*
*Cum Rex ille fortiſſimus,*
*Mortis confractis viribus,*
*Pede conculcans tartara,*
*Soluit à pœna miſeros.*

Liberat & à carceribus illos vendicat, qui tot annorum centuriis anheli aduentum eius expectabant; ligat diabolum, vires eius diſſipat, animum enervat, vt jam velut vultur irretitus, & illaqueatus ab omnibus vulgo rideatur.

Hoc præfigurauit docuitque Deus, quando diabolo maledicens in ſerpente, hoc illi malum imprecatur: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo illius.* Ita legunt D. Leo Pontifex, D. VII. Auguſtin. & D. Chryſoſtom.. Mulier tibi caput diſcinder per filium ſuum: minatur diabolo Dominus: tu vero calcaneo illius ſtrues inſidias, & ipſe tibi caput effringet. Caput Chriſti eius eſt diuinitas, calcaneum eius dicitur humanitas. Hic laqueos dæmon tetendit, judicans eum hominem cæteris comparem, vnde aggreſſus eſt eum ex ea parte qua hominem gerebat, & inde mortem illi machinatus eſt. Hoc autem eſt quod notamus dixiſſe Caipham: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo.* Ceterum per hoc illi caput eſt ſit, & ſerpentis effracto capite, ipſe totus effractus ſuperatur. Hoc doctrina docet Catholica, poſt Chriſti mortem diabolum iam nihil poſſe, nec illi permitti quæcumque vult, & talat catenis, iacere colligatum.

Ita ipſe D. Antonio fatebatur, de quo ſcribit D. Athanaſ. prout diximus in noſtris Tractat. VIII. Cum enim immundus Spiritus nocte quadam foreſpeluncæ eius pulſaret illum euocans, prodiit vir ſanctus & gigantem immenſæ molis conſpiciens, eumque cognoſcens interrogat: quid hic mortalium quæris inimice? Adſum, inquit, querelas de quibuſdam tuis Monachis expoſiturus, imo de Chriſtianis omnibus: etenim in quocumque ſiniſtro euentu continuo mihi maledicunt, hoc illis obuium eſt maxime verbum, Maledictus diabolus. Et quam ego precor, culpam in eorum lapſibus contraxi & damnatione? Merito, reſpondet D. Antonius in te maledicta congerunt nequiſſime proditor: tu etenim illos in laqueum inducis, & impellis ad peccatum. O Antoni, replicat, an ignoras à Chriſto moriente, & reſurgente vires mihi colliſas, nec aciem gladii mei vt ſolebat, eſſe præacutam, ſed omnino hebetatam? Iam dudum retuſa eſt & confracta, nec ſum, qui fui; nam ligatus ſum & irretitus & confractus morte & reſurrectione Saluatoris ingemiſco, ſubiungit autem & cum hoc dixiſſe: nunc impletum eſt illud Dauidis oraculum: *Inimici defecerunt frameæ in finem,* per virtutem Chriſti, cuius nomen eſt *Finis* iuxta illud Apoſtoli: *Finis legis Chriſtus*: Optime proditor hic intellexit locum Dauidis: hoc etenim *In finem* legunt alii: *In victoriam*: nam per iſtam Chriſti Domini noſtri victoriam, gladius eius obtuſus factus eſt, acies hebetata, vires diſſipatæ & conſumptæ, ipſe vero ſic alligatus, vt paſſim explodatur, & cum eo velut paſſere ligato ludant infantuli: hinc cum P. N. D. Dominico nocte quadam reprobus ille Spiritus appareret ſub figura ſimiæ, monmios iocoſque excitans, quibus virum Dei ab orationis ſtudio importunus auocaret: præcepit illi Dei ſeruus, vt accenſam, candelam arriperet, eamque lucentem teneret cumque paulatim conſumeretur, ipſe ſibi digitos adurens cœpit contractione vultus, oriſque deformatione ingemiſcere; ſcommatibus autem illum excepit D. Dominicus, cum miſer ille fugere non poſſet, niſi obtenta à viro Dei abeundi facultate. Alias dum D. Dominicus quibuſdam monialibus Dei verbum proponeret, diabolus in forma paſſeris ſuper capita earum frequenter volitabat eas ab auditu verbi Dei diuertens, quod Dei famulus eis proponebat. Præcipit vir Dei paſſerem comprehendi, ſibique tradi: iuſſa complentur, & cognoſcens quis eſſet cœpit eum deplumare magnoque contemptu pennas extrahere quo diabolus confuſus, & opprobrium non ſuſtinens in vlulatus prorumpit horribiles, quem demum à ſe abiecit, illi ſtricte præcipiens, vt in infernum tenderet, & tartara repeteret, nec amplius Dei famulas inquietare præſumeret. D. F. Thomæ Cornicero Magiſtro nouitiorum, imo & ipſius D. Vincentii Ferrarienſis, contigit vt teterrimus ille Spiritus clauſtrum obambularet in figura aſini moleſtiam adferens Religioſis non paruam: acceſſit illum Dei ſeruus collo eius faſciam iniecit cruralem qua illum alligauit, & tradidit famulo Monaſterii, non dicens quiſnam eſſet, iniungens vt grauia ſatis

*Pſ. 9. 7.*
*Rom. 10. 4.*

IX. Satan paſſim ob omnibus ridetur.

X. Exemplis probatur.

D. Aug. *L. 2. hiſt. Prouin. Arago. cap. 39.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

huic aſino pondera imponeret, & eius fortius adhuc latera fuſte contunderet, cuius opera ad miniſteria conuentus vteretur; hoc tantum cauerct, ne vnquam à vinculis abſolueret. Hoc modo ſeruiuit donec die quodam fluuium tranſmittens ligni faſcibus onuſtus ſe in aquas cadere permiſit, & cum ſimularet ſe fune præfocari, famulus faſciam diſſoluit, & continuo illo manu faſciam retinente, aſinus diſparuit. Huic hiſtoriæ multas ſimiles legimus, ex quibus liquido conſtat qualiter viri ſancti ludant, & illudant huic jumento

Tract.8.§.40.& ſeq. aſinoque ferociſſimo: nunc etenim elumbæ languent vires eius, conſtrictæ, ligatæ & diſſipatæ, prout conſtat ex noſtris Tractatibus.

§ 6. *Optime declarauit D. Paulus rationem qua Chriſtus de dæmone triumphauit, quem expoſuit irriſioni.*

☞ 14 HVius triumphi gloriam eleganter expoſuit Doctor Gentium: *Et expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Verbum hoc *Expolians* aliqui non connectunt ſequenti *Principatus & Poteſtates*, ſed ad Chriſtum reuocant. Ita Diuus Hilarius. *a* & D. Auguſtinus. *b* qui legunt: *Exuens ſe carne* quaſi dicat libere carnem ſuam, vultori obiiciens eſcam, id eſt principatibus & poteſtatibus infernalibus, illos comprehendit, duxitque in triumphum: vel quod dicere voluit: *Expolians ſeipſum carne.* Metaphoram ſumit de Crocodilo, cui maximæ vires ſunt in dentibus molaribus. Irruit horrendus Crocodilus in ducem robuſtiorem, cernit hunc aduenientem, pallium exuit, eius ſe dentibus offert laniandum; agit hoc Crocodilus, apprehendit eum; at illi dux ictum infligit adeo vehementem vt cunctos illi dentes euellat, reddatque adeo debilem, vt neminem poſt hac mordere poſſit, tantoque expoſuit ludibrio, vt viſo tantum homine latebras quærat ſe abſconſurus. Hoc in Chriſto facinus laudatur: aduolabat Crocodilus diabolus draco ille ferociſſimus eum deuoraturus ſociis ſuis ſtipatus infernalibus. Quid Chriſtus? carnis ſuæ pallium apprehendit, illudque offert deprædandum. Sic audio Rhetorem Leonem Pontificem: *Sæuienti diabolo per miniſteria Iudæorum formam ſerui obiecit, vt per eum ageretur omnium cauſa, in quo erat omnium natura ſine culpa.* O quam fortiter hic omnes iniecit vngues? quanto furore debacchatus eſt? quam crudeliter in illam de-

Col.2.15.
a Lib.9.de Trin.& l. de Patris & filii vnitate.
b Lib.16. cont.Fauſt c.29.& l. de peccat. merit. & remiſſ. cap.27.

1. Explicatur locus difficilis D. Pauli.

D.Leon. Serm. de Paſſ.Dom incipit. Decurſis.

ſæuiit? quam abiectam in ſepulchrum deiecit? Porro hodie eam inde educit, de ore ſepulchri extrahens, quo dentes illi comminuit, vires debilitat, captiuosque vendicat in libertatem. *Traducere* verbum eſt in Sanctiſſimis Litteris viſitatum, & ſignificat ignominiæ exponere & illuſioni, & idem eſt quod: *Publicæ ignominiæ exponere*, ita eundem exponunt Diuus Hilarius & D. Aug. ſicut paſſerculus laqueis irretitus ab alio capitur, & oculis omnium expoſitus, plumis detractis, & exceptus opprobriis.

D. Chryſoſtom. annectit illud *Expolians principatibus & poteſtatibus*: etenim indicat Apoſtolus Chriſtum Dominum noſtrum mortem ſua triumphum retuliſſe de poteſtatibus infernalibus ſpolia illis eripiens Sanctorum, quos in limbo captiuos detinebant, notatque verbum *Traducere* ſignificare publicæ ignominiæ exponere. Sic Spiritus S. declaraturus propria malorum crimina reprobos in die judicii pudore affecturus, ſic ait: *Traducent illos ex aduerſo iniquitates eorum.* Deinde vt exponat in hoc præ ceteris ſuam Dei declarare potentiam quod tandem confuſioni exponet & ignominiæ eos, qui deſpectio eo grauiter illum offendere præſumpſerunt, *ait Potentem enim tu &c. & horum qui te neſciunt audaciam traducis.* Et huic inſiſtendo explicationi declarant aliqui illud quod ait Euangeliſta Matthæus, quando Ioſeph intellexit virginem ſponſam ſuam prægnantem: *Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere*, quod D. Auguſtin. ſemel legit: *Noluit eam exponere [illegible] eſt ad publicum exemplum puniendam [illegible], aut ignominioſa accuſatione deuulgare.* Quod ſi [illegible] *traduxit*, inquit D. Chryſoſtom. *Recte dixit, traduxit; quia nunquam tam turpiter & [illegible] ſe geſſit diabolus: nam cum eum ſe habere [illegible] Eares, etiam quotquot habuit, perdidit.* Nunquam diabolus diem vidit quo ſibi grauior foret illata contumelia, deſpectus & ignominia, vt eam deſcribit D. Auguſtin. declarans deſcenſum Redemptoris ad inferos. Quanta confuſione repleretur tyrannus qualem deſcribit Abacuc fuiſſe Nabuchodonoſor, qui cunctos apprehendit, & captiuos ſupprimit, ſi eum vellet quendam, quem ſibi perſuadet abiectiſſimum, ducere captiuum, manus illi iniicere, & in vincula conjicere; ille qui deſpectus habebatur clanculum in illum manum injiceret, eum ligaret, prædam & quidem opulentam diſperderet, in terram proſterneret, diſſiparet, palam confuſioni & dedecori exponeret, tyrannidem eius auidamque ſeuere caſtigaret! Hoc à Chriſto per

debui

debuit diabolus, vt ipſe Saluator prædixerat quod forti armato facturus eſſet, ſpolia eius ablaturus, arma confracturus, vires eliſurus, quibus ſibi blandiebatur.

Theodoretus opinatur aliam hic ſignari declarationem: *Expoliare principatus & poteſtates*, idem eſſe quod Dauid ait: *Diſſipare & confringere vires eius*, armiſque eum ſpoliare: & hoc *Triumphans in ſemetipſo*, ait Origines, in aliquibus Codicibus legi: *Triumphans illos in ligno*. Quamuis autem præclarum hic lateat myſterium, etiam non vacat quod ait: *Triumphans illos in ſemetipſo*: quaſi dicat ſibi propria virtute ac potentia, non ſubſidio, non præſidio roboratus alieno. Et nobis indicauit Aquila illa regalis in ſua Apocalypſi, vt notarunt Diuus Ambroſius, & D. Auguſtin. Vidit etenim Angelum fortem nempe Chriſtum (quem appellat Iſaias iuxta Septuaginta, magni conſilij Angelum) clauem habentem inferni: ipſe namque ſolus portas eius vecteſque poterat aperire, quibus SS. Patres vincti tenebantur, aitque: *Habebat catenam magnam in manu ſua, & apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus, & Satanas, & ligauit eum, per annos mille & miſit in abyſſum, & clauſit & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes.* Nemo melius Chriſti declarat Heroica facinora, quatuor ſcilicet. Primum: *Apprehendit eum*, manum illi iniecit ac potenter in terram proſtrauit, ſumpta metaphora de iudice, qui latronem capturus habitum induit peregrinum, dumque latro omnia ſibi tuta arbitratur, manum illi iniicit, capitque plectendum. Secundum: *Ligauit* vt iam ludere nequeat, nec vti manibus aut pedibus, hoc eſt viribus ſuis pro beneplacito ſuo liberaque voluntate: Tertium: *Miſit illum in abyſſum, & clauſit*: hoc eſt in abyſſo confuſionis & opprobrij, qua velut captiuus ligatuſque ne ſe poſſit liberare, detinetur. Quartum: *Signauit ſuper illum*. Sigillum hoc dicimus Sanctiſſimam eius crucem: nam eius pondere ac potentia continet illum ſibi ſubiectum, & confractum: eo modo quo quis detineretur ſuper quem arbor corruiſſet, vel lignum aliquod grauiſſimum, ſub quo protinus ingemiſceret. Hic eſt, quem celebramus, triumphus eminentiſſimus. Proh quam fortiter ligatus iacet diabolus: iam non eſt eum cur formidoloſi timeamus, ſicut nec Leonem, ſi tuto ſit funibus alligatus: poteſt equidem rugire, ſed damnum inferre non poteſt, niſi illis qui ſe mortifera perſuaſione ei adiungere & eius ſe vnguibus iniicere voluerint; iam illum nec pueri, nec puellæ reformidant, quas cernimus & lætamur de illo triumphum ducere glorioſum in Religionibus, & extra illas: nec aliquem videas viribus adeo debilem, qui ſi voluerit, eum nequeat irridere, victumque proſternere.

### §. 7. *Reſurgens Chriſtus de morte triumphauit mortuam eam relinquens & conquaſſatam.*

EOdem modo de morte triumphum retulit, 16
illam diſſipans, vires eius confringens, & in omnibus ac per omnia diſperdens, vt iam omnibus viribus langueat, quod Eccleſia decantat.

*Cum Rex ille fortiſſimus.*
*Mortis confregit viribus.*

Verum eſt mortem manere; ſed iam haudquaquam mortis pollet viribus, vt ſcilicet occidat & diſperdat, ſed facta eſt tranſitus ad vitam. Vnde nunc mors minime de Sanctis triumphat: quandoquidem illos non comprehendat, vt vitam terminent, ſed ipſis fit, & ſtatuitur canalis ſeu tubus aquaticus, quatenus per illam vitam æternam ingrediantur: deinde mors Sancti, non mors modo, ſed Natiuitas dicitur *Natale*: non enim vt moriatur, moritur, ſed vt viuat in æternum. Hinc declarat D. Auguſt. quid ſit *Paſcha*, *Epiſt. 119. ad Ianua.* notatque vocabulum eſſe Græcum, & non Hebraicum, vt aliqui opinantur, nec dici *Paſcha à patior*, verbo Græco, ſed ſignificare Tranſitum. *I. Vnde dicatur Paſcha.* Liceret hoc confirmare ex prima eius inſtitutione, quæ refertur in L. Exodi. Porro D. Aug. *Exod. 12.* tantum confirmat illo, quod dicit D. Ioannes de Chriſto, de quo Paſcha celebraturo quaſi quodam præambulo, dicit: *Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.* *Ioa. 13. 1.* Hoc erat illud Paſcha, quod tranſitum hunc præparabat, è diuino quidem conſilio: nam id quod per mortem ſuam & Reſurrectionem erat effecturus, dicit, hoc fore quod, mors canalis futurus eſſet & tranſitus *Ex hoc mundo ad Patrem.* Et huic conformiter expendit quod dixerat Dominus: *Qui credit in me tranſijt de morte ad vitam.* *Ioa. 5. 24.* Et quamuis opinentur multi per nomen mortis hanc vitam intelligi, quæ mors potius dicenda eſt quam vita, porro etiam dicere voluit. *De morte id eſt per mortem.* Erit illi mors tubus ſeu tranſitus ad vitam: vnde iam mors quaſſata & confracta languet elumbis, quam vt talem iam Sancti non timent, imo ardenter exoptant, multique cum D.

Epiſt.3. Paulo aiunt: vt appoſite notauit D. Hier. *Cupio*
Philip.1. *diſſolui & eſſe cum Chriſto. Et Mihi viuere Chri-*
22.& 23. *ſtus eſt & mori lucrum.*

Nunc igitur illi omnes illudere poſſumus, quaſi ietæ deuictæ & confractæ, illudque Apoſtoli ei obijcere: *Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi*
1.Cor.15. *eſt mors victoria tua. Vbi eſt mors ſtimulus tuus?*
54.
Verbum hoc *Abſorpta eſt mors in victoria*: credit
In c.25. D. Hieron. ſumi ex illo loco Iſaiæ, vbi Propheta
Iſa. dicens Dominum retia laqueoſque confractu-
Iſa.25. rum, adiungit: *Præcipitabit mortem in ſempiter-num.* In Hebræo habetur verbum *Balagh*, quod inter alia ſignificat: *Diſſipare & confringere*, quod conuenit huic Dauidis: *Diſperdentur aut confringantur inimici* vt declaratum eſt. Notandum verbum illud: *Præcipitabit mortem*: etenim vere per mortem ſuam & reſurrectionem illam in abyſſum inferni præcipitauit, vbi mors vera mors eſt, & operatur, & operabitur vt mors in illis condemnatis, de quibus prædicit Pſaltes. *Mors*
Pſ.48.15. *depaſcet eos.* Porro hic viribus non viget mortis, ſed ijs tantum, quibus vincula diſſoluit quæ nos detinent & morantur, quatenus ad æternæ vitæ gaudia tranſeamus. D. Irenæus anſam nobis ſuggerit inſigni alteri conſiderationi huius verbi:
Lib.5.con. *Abſorpta eſt mors*: conuenit enim illi; quo vſus eſt
hær.c.12. D. Petrus: *Deglutiens mortem* q. d. Chriſtus Re-
1.Pet.3. demptor noſter mortem degluiuit quod ita di-
22. citur, non tantum vt indicetur, quam facilis

II. Quid ſignificet abſorbere mortem.

hæc fuerit Chriſto victoria, mortiſque perpeſſio; quaſi hauſtum aquæ abſorberet: ſed etiam vt inſigne declaretur myſterium, quod, ni fallor, hi duo Apoſtoli Petrus & Paulus in his verbis cõſiderant: dum enim Redemptor noſter in cruce penderet, aſcendit mors velut coluber arborem ſurſum quam vt Chriſtus vidit aſcendentem inclinauit caput: *Inclinato capite*, eamque ore ſu-
Ioa.19.30 ſcepit: *Emiſit Spiritum* mortuus eſt, mortem apprehendit, & inter dentes illi oſſa confregit, vires eneruauit, deuorauit, degluiuit, ſibique mirabili myſterio incorporauit.

Cum mors in mundi principio ad vitam hominis accederet in paradiſo, illam acriter commouit, & mutauit in mortem, illi mortis dedit qualitates, vitamque reddidit mortalem. Maiori nunc efficacia vita accedens omnipotens, & per eſſentiam, Chriſtus nimirum ad mortem (verius enim acceſſit ipſe ad illam, quam illa ad ipſum: hoc namque eſt abſorbere illam & deglutire) potuit illam alterare, & in vitam tranſmutare, nec non talem reddere mortem, vt iam non occidat, ſed vitam tribuat, ſitque illa ipſa tranſitus ad vitam immortalem. Hoc factum eſt *In victoria*: quam Chriſtus mortem oppetens & reſurgens de morte conſecutus eſt. Div. Chryſoſt. [illegible] Theod. Theophil. & Euthymi omneſque Græci [illegible] SS.PP. & inter Latinos D. Aug. ſæpe non legunt [illegible] *In victoria*, ſed *In victoriam* q. d. ad victoriam [illegible] & triumphum nedum Saluatoris, ſed etiam [illegible] nos eam pariter obtineamus, nobiſque mortem [illegible] & iam nedum illam exhorreamus, ſed inſuper [illegible] opprobrio excipiamus & irriſione, cum Apoſto[illegible] lo vtareque illi exprobrantes: *Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus?* Quid egiſti [illegible] ô mors occidendo? An D. Petrum occidere pr[illegible] tendiſti? num D. Paulum, numquid D. Andream? [illegible] non illos occidiſti, quinimo viuunt & viuent [illegible] æternum: ſed ipſis ſcala fuiſti & tranſitus ad vi[illegible] tam immortalem. Ingens hoc beneficium [illegible] numque & fauor Saluatoris pro quo gratias A[illegible] poſtolus Deo gratias reddit immortales: *Deo [illegible] autem gratias qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum.* Nobis autem incumberet hæc verba quotidie proferre: nec non illa D. Hieronymi [illegible] qui largiter de his poſtquam diſcurriſſe, [illegible] dem huic excelſo gratias referens triumph[illegible] in hæc verba concludit: *Gratias tibi Saluator [illegible] agimus creaturæ, quod tam potentem aduerſarium noſtrum, dum occideris, occidiſti.*

§. 8. *Glorioſe triumphauit Chriſtus de Iudæis, eorum machinas, vt fumum diſſipans.*

NOn tantum humani generis aſſertor per [illegible] Reſurrectionem ſuam de illis triumphauit inimicis, ſed etiam de illis, qui ipſum odio mortali, execrabantur: *Fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant.* Verbum deficere in Hebræo eſt Nidoph quod ſignificat *Propellere*, actio hæc vento propria eſt turbulento ac vehementi, quando fumum agitat nebuloſum, quem ſic diſpergit, vt omnem in auras diſpergat. De Iudæis loquitur: [illegible] non dicit fuiſſe eos, quos Chriſtus habuit inimicos: cum non venerit ad perdendum eos, ſed lucrandum, nec eis opera oſtenderit inimici ſed patris erga filios. Ille abſit vt eos odio infeſtus proſequeretur: imo potius benignus amabat, vocabat, ſuaque inuitabat miſericordia: nec non clamoribus vociferabatur, nunc: *Venite ad me omnes*: alias: *Qui ſitit, veniat ad me & bibat*: iterum: *Hieruſalem, Hieruſalem* inimica Prophetis, tu enim illa reprehenderis, quæ prophetas odiſti: non illi te: cum eorum omne ſtudium eo collimarit, vt tibi beneficijs ſuccurrerent,

neum autem eſt multo feruentius: *Quoties volui congregare filios, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Tu illa es cui bona deficit voluntas, mea vero ferueſcit ardentius: idcirco congrue de illis Dauid; *Qui oderant eum*, Illos merito comparaueris fratribus Ioſeph; cum enim ipſe fratres diligeret, demulceret & beneficiis demereretur, illi è contra; *Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui, & dicebant; Venite, occidamus eum*; vnde illos Regius Pſalmiſta de ſcribis in perſona Chriſti, verba illa protulit, quæ Saluator ipſe retulit; *Odio habuerunt me gratis.*

II. Illos igitur, qui oderant eum deuictis, confuſos, in fugam expulit, eorumque ſubuertit machinas ſicut fumum diſſipat ventus ſic vt in auras euaneſcat, & ſicut cera vbi à facie ignis liqueſcit. Quam nebuloſum excitarunt illi fumum quo Chriſtum conati ſunt obſcurare? Potentiam impiorum & ſuperbiam, qua iuſtis tenebras conantur effundere, comparat Saluator noſter eleganter fumo. Quando duo illi potentiſſimi Reges irruerunt Raſin Rex Syriæ, & Phacee Rex Iſrael contra Hieruſalem adeo copioſo militum exercitu, vt narrat S. Textus tam Regem totamque vrbem inuaſit, tremor qualem ipſe exponit; *Commotum eſt cor eius, & cor populi eius, ſicut mouentur ligna ſiluarum à facie venti.* Et quamuis Rex ille reprobus eſſet & ſacrilegus Achaz; porro quia de familia erat Dauid; eius ac ciuitatis aſſumpſit ſibi Deus protectionem, & vocato ad ſe Iſaia ait illi; Vade ad Regem & dic illi; *Noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium*

III. *iſtorum.* Eleganter titiones eos appellat fumigantes; nihil enim ita id quod formoſum eſt ac pulchrum fuligine obſcurat ac fumus; tenebræ noctis omnia obnubilant ne videantur, nigroque illa obducunt velo, veruntamen earum non adhæret obſcuritas, nec oculis ſunt infeſtæ aut doloroſæ; ſed fumi caligo nedum cetera cooperit ſed inſuper nigra illis coagulatur fuligine vt patet in fumariis, imo & vbi lampadis fumus accedit; deinde moleſtus eſt fumus oculis, eos debilitat, repletque lacrymis; vt nedum ex parte ſua eam obſcuret nigra eam contegens ſuperficie, ſed etiam ex parte oculorum, illos inficiens, & ad lacrymas excitans amariores. Nihilominus nihil ita facile diſſipatur & euaneſcit; ad vnicum enim venti flatum totus euaneſcit. Hoc duo Reges illi faciebant qui aſcenderant armati contra Hieruſalem; nam ſuperbia ſua, faſtos, pompaque fumo; atque copioſis ſuis militum legionibus inſtructi vires Hieruſalem obſcurabant; quæ reſpectu tantæ potentiæ quaſi nullæ videbantur; pariter etiam oculos Regis ac ciuium lacrymis opplebant ex timore quo Regem eiuſque percellebant.

18 Porro Deus oſtendere voluit quanta facilitate omnem illam arrogantiam, exercitus, & machinas diſſolueret, ea nimirum, qua fumus denſiſſimus, & obſcuriſſimus diſſipatur, quo tota obducitur ciuitas quod vnius tantummodo fit venti ſpiraculo. Erant qui Chriſtum execrabantur, vt titiones fumigantes, titiones virides præ malitia, odio & rancore ſuccenſi.

IV. Fumus excitatus à Iudæis.

O quam ſpiſſum illi fumum excitarunt! Saluatorem capiunt, ligant, trahunt per tribunalia atque vt nequiſſimum omnium latronem medium inter duos qui tales erant, cruce ſuſpendunt ignominioſe. Per hoc tantis obuoluunt eum tenebris, qui ipſa erat cœli gratiſſima pulchritudo, vt ipſe Propheta vix eum cognouerit: *Conſiderauimus eum deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem &c. vnde nec reputauimus eum*; ſic vt afflicto Iob videatur conferendus, quem ita manus attriuit diabolica, vt eum amici contuentes intimi, haudquaquam, quis eſſet, agnouerint; *Cum eleuaſſent procul oculos, non cognouerunt eum.* Sic ab illo felici mutatus ſtatu difformis apparuit. Illa eius opera tantopere ſplendentia cunctiſque clara, quæ ſolem fulgore ſuo vincerent, velut obſcurata languebant; vt ante diximus. Simile quid vidit Diu. Ioannes. *Et aſcendit fumus putei fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſol, & aer de fumo putei.* Et ſatis patenter ſol hic oſtendit, hanc ſe ſentire caliginem, quandoquidem Chriſto in cruce ſuſpenſo; *Obſcuratus eſt ſol, & tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.*

Iſa. 53. 3.
Iob. 2. 12.
Apoc. 9. 2.
Luc. 23. 44.

Super hæc omnia ſepulchro traditur, quaſi perpetua in terra ſepultus obliuione. Quam læti & triumphantes accedunt ſacrilegi Pilatum, *Domine, recordati ſumus, quod ſeductor ille dixit adhuc viuens, poſt tres dies reſurgam &c.* quaſi iam æterna iaceret caligine concluſus numquam emergendus. Vt autem fumus hic erat adeo ſpiſſus ac condenſus, ex piorum omnium oculis lacrymas elicuit vberrimas, fleuit Virgo Virginum, ſic vt nullus alius, plorarunt Apoſtoli, gemuit Magdalena, planxerunt ſanctæ mulieres, luxerunt viri illi nobiliſſimi Ioſeph & Nicodemus. Negare nemo po-

Matt. 27. 63.

taſt

teſt fumi huius malitiam, cum & ipſæ filiæ Hieruſalem ita amare fleuerint, vt ipſe Dominus ad eas conuerſus de lacrymis earum fecerit mẽtionem. Ingens vis eſt fumi eorum qui oderant eum: iam enim ſibi ad votum omnia ſucceſſiſſe
Hier. 11. 19. perſuadebant, nimirum: vt *Non memoretur nomen eius amplius.* Ceterum ô præclarum triumphatorem, *Fugiant qui oderunt eum à facie eius, ſicut deficit fumus, deficiant.* Conuerte dux inuictiſſime vultum tuum ad mundum: *Exurgat Deus:*

V. Nullo negotio diſſipatus eſt.

de ſepulchro ſurge redíuiuus. Et ſicut oriente ſole aues nocturnæ feræque diffugiunt. *Fugiant qui oderunt eum à facie eius*, diſſoluantur machinæ, fraudes detegantur, proditiones diſſipentur, doliquę tuæ gloriæ, reſurrectionis & triumphi flatu confringantur. Ad perpendiculum hic quadrat illud Salomonis de tempore quo nubes exurgunt condenſæ, ac ſoli cœloque tenebras offundunt: etenim aperiendo theſauros ſuos, ventoſque educendo cunctos diſperdit & annihilat:
Pſ. 134. 7. *Qui educit ventos de theſauris ſuis. Apertè*
Eccl. 43. 15. *ſunt theſauri, & euolauerunt nebulæ quaſi aues.* Quam præclare patuit hoc in glorioſa Domini reſurrectione: eo namque modo nubes omnes diſſipatæ ſunt; etenim quotquot Iudæorum peruerſa excitarat iniquitas, quibus Chriſti Reſurrectionem obtenebrarent, illas fuiſſe conſtat, quæ liquidius certiuſque de illa reddidere teſtimonium.

§. 9. *Præfiguratus fuit Chriſti de Iudæis triumphus, in triumpho Samſonis de Philiſtæis.*

SVbtiliter expendunt D. Aug. & D. Gregor. glorioſum hunc Chriſti Domini noſtri triũ-
☞ 19 phum de Iudæis obtentum, nobis inſigni
Serm. 107 de temp. Hom. 21. in Euang. prærogatiua deſcriptũ à Spiritu S. In illo triũpho quem Samſon retulit de Philiſthæis. Creauit Dei omnipotentia virum hunc toto orbe vulgatiſſimum vt expreſſam Chriſti Redemptoris gereret figuram. Præcucurrit illum in conceptione ſua, vtique miraculoſa de matre ſterili, per Angelum annunciata illi dicentem: *Ecce concipies & paries filium*: vir erit hic illuſtriſſi-
Iudic. 13. mus, Deo conſecratus, populique ſui ſaluator: iam enim liquido conſtat quam congrue in hoc Chriſti præfigurarit conceptionem. Imo & nomine ipſo Saluatorem noſtrum expreſſit: Samſon namque ſol dicitur, quo Chriſtus proprie nominatur: *Ego ſum lux mundi.* Terribiles in eum
Ioa. 8. 12. Philiſthæi commouerunt perſecutiones, & aliquoties libere ſe permiſit ab eis funibus ligari, plenamque conceſſit quælibet agendi poteſtatem; verum dum illi ſibi perſuadent eum iam ſuperatum corruiſſe, cantumque iam triumphe, vnico virium ſuarum impetu funes omnes diſrupit vt lini ſtuppam, liber euaſit, illi vero rubore confuſi, & perterriti turpem in fugam expelluntur.

Particulariter autem trutinat D. Auguſt. ... quo ſumpſerunt D. Gregor. Pontifex & Abbas Rupertus, & ac alij quod contigit in ciuitate Gaza. Poſtquam irrito ſæpe labore conati ſunt eum apprehendere, laqueis doliſque interim ei præparatis, eminens tamen ſuper tetia potenter euaſit, technas eorum naſo ſuſpendit, ...dem ciuitatem ingreditur Gazam diuertitque ad mulierem, quam S. Scriptura nominat meretricem, quo nomine duo in Hebræo ſignificantur hoſpita & meretrix, vt diſputat Lyran. Nonnulli credunt mulierem hanc fuiſſe hoſpitam, ſed plures arbitrantur fuiſſe meretricem, & inter illos cenſentur D. Auguſt. D. Gregor. & Ab. Rupert. Lyranus autem ſuſtinet verumque fuiſſe, quod ſatis frequens apud quaſdam habetur nationes: quinimo quantum intelligo idem aſſerit D. Auguſt. etenim vno loco dicit eam fuiſſe meretricem, alio vero Samſonem cum illa negotium non habuiſſe, nec matrimonium iniuiſſe, quod indicat ſic ex textu S. colligi, ſed eo diuertiſſe, ſomni gratia, in quo patet ... tam fuiſſe: Philiſthæi quam primom domum eum intelligunt ingreſſum, præ gaudio ſubſiliunt, cuſtodes adhibent diligenter, portas occludunt ciuitatis cohortem apponunt militum numeroſam eum cuſtodientem, iamque credunt publicè Samſonem, publice diuulgant, eorum illum modo non poſſe manus euadere; actum eſt de illo, iam noſtris gaudemus deſiderijs votiſque ſatisfactum. Samſon in ambus dormit autem quietus, ipſe ſeipſum à ſomnis excitat, & autem ... præueniens portas apprehendit, cardinibus euellit, poſtes eruit, domoque liber egreditur, cuſtodes autem milites perterrentur, confunduntur, ruuntque exanimes: quid modo Philiſthæi pudore nimio confunduntur, quid ſibi eueniat ignorant, conſilia eorum diſſipata langueſcunt, & ridentur irritæ cogitationes. Ecce in hoc triumpho (loquitur D. Auguſt.) Chriſti triumphum in Phariſæis. Quoties eum illaqueare, capere & occidere ſtuduerunt; porro quando ex animi iam ſententia facinus credunt feliciter patratum, tum eo turpius illos confundit & deridet,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vt compertum eſt in Nazarenis illum de montis ſupercilio præcipitare conantibus, & Principibus dum miniſtros ſuos mittunt à quibus vinctus capiatur, & in Phariſæis laqueum illi tendentibus: *Vt caperent eum* ſaltem *in ſermone.*

Ceterum tandem vt trophæum obtineret perillustre, ipſe motu proprio Gazam ingreditur. Ciuitas hæc, vt Ruperto credimus, peruerſam indicat Phariſæorum nequitiam. Verum eſt Philiſthæos habuiſſe quinque ciuitates Azotum, Gazam, Aſcalon, Geth, & Accaron; porro ceteris malitia ſuperior erat Gaza, quod probatur: cum

II.

enim Dominus per Prophetam Amos ſuam indicare vellet aduerſum Philiſthæos indignationem, aliarum non meminit ciuitatum niſi ſolius Gazæ, ſignificans quòd quamuis Phariſæi multis inquinarentur voluntariè & peruerſè ſceleribus, principalis tamen arguuntur fuiſſe malitiæ: non enim ex ignorantia aut infirmitate, ſed ex mera animi malitia peccauerunt, quod optimè nomen indicat Gazæ, quod ſignat ex mente D. Hieronymi, rem fortem, nec vllum fuit fortius peccatum ipsâ malitia Iudæorum, qua de cauſa vocantur à Deo eorum peccata, fortia, vtpote ex malitia perpetrata: *Cognoui fortia peccata veſtra.*

In hanc vrbem ingreſſus eſt Christus, quandoquidem perfectè ſe Iudæorum malitiæ tradiderit, vt quælibet in eum agerent: hoc indicauit, quando ipſa captionis ſuæ hora, Iudæis ait: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Ciuitatem hanc ingreſſus eſt: quia facultatem locumque dedit, vt nequitia eorum qui oderant eum, ſuam aduerſus eum omnem malitiam expleret. O quid effecerunt? Imo quid non effecerunt? Imaginari non poſſumus tormenti pœnæque genus, quo non illum affixerunt. Caput, capillos euellunt, alapas impingunt, exſibilant, ſputis conſpergunt, flagellant, coronant ſpinis, crucifigunt. Tandem illuſtris ille Samſon

III. Mulier

ædes ſubintrat mulieris & hoſpitę & meretricis. Quænam, obſecro, hæc mulier? Non video quo poſſit Spiritus S. aptiori hieroglyphico mortem deſcribere, quàm ſub nomine & titulo mulieris hoſpitæ & meretricis. Eſt mors hoſpita: cunctos etenim in domum ſuam ſuſcipit ſcilicet ſepulchrum, nobiles, vulgares, diuites, pauperes, puſillos & magnos: *Vbi conſtituta eſt domus omni viuenti*, ait veraciter patientiſſimus Iob. Sicut autem hoſpita cunctos in ædibus ſuis excipit peregrinos & viatores, non vt ibidem ſemper maneant hoſpites, ſed vt foras egrediantur cum negotia ſua ibidem agenda perfecerunt: ita mors omnes recipit in ſepulchro, non vt in æternum homines ibi permaneant, ſed vſque dum, quæ in mundo agenda ſunt, perficiantur, id eſt vſque ad extremum diem iudicij.

Eſt etiam mors meretrix: etenim ingreſſum domui ſuæ præbet omnibus, vt omnes vniat, faciatque corpus vnum & rem vnam ſecum: hoc enim, ait Apoſtolus, agit qui cum meretrice copulatur: *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur.* Hoc mors efficit: nam omnes in domum ſuam id eſt ſepulchrum recipit, vt omnes ſibi coniungat, & vnum cum ſuo corpore corpus efficiat. Videre licet virum ſtemmate illuſtrem, opibus prædiuitem, formâ venuſtum, viribus robuſtum domum mortis ingredientem, ſepulchrum ſcilicet: in illo conſtitutus, illico corpus eius vnum cum corpore mortis efficitur, viuaque figura eiuſdem mortis. Domina, iuuenis, tenellus puer, fortiſſimus miles, Princeps pollens imperio omnes ædes huius intrantes meretricis ita vnum cum illa corpus efficiuntur, vt non appareant niſi eiuſdem mortis corpora, caluariæ, crania, coſtæ, tibiæ, hoc enim corpus eſt, quo mortis corpus exprimitur. Domum hanc intrauit inſignis noſter Samſon libera ſua ductus meraque voluntate: non enim ſatis potentes erant omnes Phariſæi vt illum eo introducerent, ſicut nec Philiſthijm vt concluderent Samſonem, ſi ille proprio motu intrare noluiſſet; quamuis enim realiter vereque mortuus ſit & ſepulchrũ ingreſſus, ipſe tamen per ſemetipſum intrauit. Quandoquidem numquam moreretur, nec ſepulchrum ingrederetur, niſi ipſe propria voluntate ſe morti traderet, vt ſæpè declarauimus. Ingreſſus eſt domum meretricis, non vt cum illa coniungeretur, aut vnum cum illa corpus efficeretur, quandoquidem corpus eius futurum non erat corpus mortis, nec cranium; nec corrumpenda caro, vt manerent oſſa ſua & cranium in forma corporis mortis: iam etenim ſcriptum erat: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*: Tantum intrauit vt in hoſpitium, vt velut in domo dormiret aliena, id eſt ſomnum mortis dormiret tanto tempore quo decreuerat, tribus diebus & noctibus. Non ita plenè ſatisfactum fuit Philiſthæis nec tanto gaudio iubilarunt, quando Samſonem viderunt domum ingreſſum hoſpitæ, ſicut Phariſæi quando Chriſtus mortis ingreſſus eſt hoſpitium. O quàm alacres, excitati hilareſque ouarunt mortuo iam Chriſto & ſepulto! iam ſibi perſuadebant illum quem tanto timore odioque perſequebantur, exterminatum, ſe verò victoriâ potitos triumpha-

Marginal notes: Matt. 22. 15. — 1 Cor. 6. 16. — Pſ. 15. 10. — IV. Iudæorũ in morte Chriſti tripudium.

re; atque vt ſuum ſibi triumphum ſecurum tutumque confirmarent, ad portas cuſtodias adhibent diligentes.

Mt. 27. Eo animo Pilatum adierunt, dicentes: Domine mi. *Recordati ſumus, quod ſeductor ille dixit adhuc viuens: poſt tres dies reſurgam.* Viget neceſſitas, vt vigiles & quidem potentiores ad ſepulchrum ſtatuantur. Fiat ita, reſpondet Pilatus: cohortem eligite turmamque vobis gratiorem cuique negotium ſerio confidatis, & eas vigiles adhibete, fecerunt hoc illi gaudio magno valde ſubſilientes. Porro ter magnus ille Samſon poſtquam ſomnum mortis dormiuerat, quod vtique neceſſarium fuit & promiſſis ſuis conforme, die tertio ad primam ſolis auroram, ſe ipſum excitat, & propriis viribus aſſurgit ipſe rediuiuus: *Exurgat Deus.* Portaſque diffringens prodit victorioſus: Portæ, vt ex SS. patet litteris potentiam, robur vireſque ſignificant eminentiores, hæ namque communiter ad portas ſtatuuntur quo tempore bella vel pericula imminent manifeſta. Sic Rebeccæ optarunt fratres eius: *Poſſideat ſemen tuum portas inimicorum suorum.* Et eadem phraſi Saluator noſter portas appellat inferni, potentiam vireſque diaboli. Cardinibus euulſit Redemptor portas hoc eſt vires, & ligamina mortis, totamque inferni poteſtatem, ſeras, vectes, & vincula diſrupit, vt occinere ei liceat: *Contriuit portas æreas & vectes ferreos confregit.* Et hoc ipſum Eccleſia canit: *Mortis confractis viribus.* Aſſurgit de ſepulchro glorioſus impaſſibilis & immortalis, perterrens tot tamque robuſtos milites ſepulchri cuſtodes metu conſternatos: etenim ille aduolans Chriſto reſurgente, Angelus tantâ repente gloriâ reſplenduit, indicium præferens triumphi Domini ſui Ieſu Chriſti, vt ad eius conſpectum horrore nimio milites extimuerint: ait enim Euangeliſta: *Præ timore eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui.* Per hoc Phariſæi ac Iudæi pudore confunduntur, inopes hærent conſilij, nouo timore commouentur, & ſuas dolent confractas machinas, vires eliſas, diligentiam exploſam, & inſtar fumi diſſipatam, illudque de pſalterio compleri: *Sicut deficit fumus deficiant* &c. Finem imponat D. Gregor. *Samſon media nocte non ſolum exiit, ſed etiam portas tulit: quia Redemptor noſter ante lucem reſurgens, non ſolum liber de inferno exiit, ſed & ipſa etiam clauſtra deſtruxit* &c.

V. Cuſtodes ſepulchri illuduntur.

Gen. 24. 60.

Matt. 16.

Pſ. 106. 16.

VI. Phariſæi confunduntur.

D. Greg. Ho. cit. ad fin.

§. 10. *Impletur oraculum Iſaiæ, quod Deus diuitem procurabit ad Chriſti mortem qui fuit Ioſeph ab Arimathia.*

Dilucidè hæc omnia vates prædixit Euangelicus Iſaias illo capite, quo omnium Sanctorum iudicio Euangeliſta magis videtur, & præteritorum commentator, quàm præſagus Propheta futurorum. Poſtquam ſigillatim ea quæ Chriſti concernunt Paſſionem, eiuſque deſcripſerat circumſtantias, hæc ſubiungit: *Et dabit impios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua, eo quod iniquitatem non fecerit* &c. Hæc verba noſtræ conformiter intentioni declarat Tertullian. legitima quidem interpretatione, ſed D. Auguſtin. adhuc apertius notaſque primò: Prophetam, quod primum fuit, narraſſe poſterius, & quod poſtremum fuit, primo, ordine præpoſtero: nec non quod noſtra vulgata lectio habet in ſingulari: *Diuitem*, legit in plurali: *Diuites.* Vt Pater æternus vnigeniti ſui morientis in cruce declararet innocentiam, duo prædeſtinauit: vnum pro morte eius, & alterum pro ſepultura: licet autem vnum ſolummodo videatur, non ſic tamen eſt, ſed duo ſunt plurimum diſtincta, magnique myſterij ſacramenta, nec minoris gloriæ ac dignitatis. Pro morte ſua dedit *Diuitem*, nempe Ioſeph ab Arimathia, quem Euangeliſta hoc nomine proprio compellat: *Homo diues ab Arimathia.* Erat vir dignitate conſpicuus, ab alio Euangeliſta dictus *Nob. in Decurio*, id eſt ſupremi concilij Senator, quem idcirco D. Gregor. Nyſſen. vocat fidelem illum conſiliarium, & honeſtum illum Senatorem: ſicque vir tantâ mentis præditus conſtantia, vt in concilio aduerſus Chriſtum coacto, vbi omnes toto furore, atque malitiæ ſuæ impetu rapiebantur, ipſe nullatenus conſenſerit, imo publicè & expreſsè iniuſtæ eorum obſtiterit machinationi: hoc etenim Lucas Euangeliſta teſtatur: *Ecce vir nomine Ioſeph, qui erat decurio, vir bonus & iuſtus: hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum.* Quantis vir meritis, viſuque dignus ſic vt velit in eum noſtros oculos conſideremus: Ecce Fidei integræ conſiliarius: nam propterea credit D. Hieron. Dauidem pſalterium ſuum inchoaſſe ab eius laudibus, atque de eo cecinisse in primo Pſalmo, qui incipit: *Beatus vir qui non abiit in conſilio* &c. Similiter erat vir opibus præpotens; *Homo diues;* nam mea quidem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dem ſententia nomen illi adſcribit, quod antiquitus iis adſcribebatur, qui modò magnates & præcipui Principes appellantur, quos Hiſpani dicunt diuites. Quod ſi pluraliter legamus *Diuitum*, Huic adiunge cum D. Auguſtin. Nicodemum, qui & ipſe diues erat ac nobilis*: *Princeps Iudæorum*, ita vt duo ſint, vnus diues & illuſtris in ſtatu ſæculari, alter autem in Eccleſiaſtico: & ſi hic Senator ſit opulentus, alter vt Princeps honoretur Iudæorum.

II Placet modo conſiderare quidnam diues ille pro morte Chriſti contulerit. Multa profectò. Primò: Pilatum adiit, & intrepidè petiit ſibi corpus dari Saluatoris. Secundò: conſtanti animo, nihil timens rabiem Iudæorum, funeralia illi celebrauit honorifica, imo ſepulturæ tradidit, vna multo pondere myrrhæ, aloës & vnguenti pretioſi conditum S. eius corpus linteo inuoluit mundiſſimo, ſaxumque aduoluit ad oſtium monumenti; itaque hoc ad eum ſpectabat, atque ad hoc illum Dominus præordinarat, vt ageret, quod fieri ratio ſuadebat, vt mortuum ſuum corpus ſepulchro reconderet. Ecce quàm ad litteram oraculum hoc impleatur. *Dabit diuitem pro morte ſua.*

III Secundum à Patre ſtatutum hoc erat: *Dabit impios pro ſepultura*: Iudæi hic notantur: etenim creſcente eorum contra Chriſtum impietate Pilatum adeunt cuſtodias poſtulantes ſepulchro conſtitui. Hæc omnia Deus prædeterminauit. Quàm inflati & Chriſto inuidentes Pilato loquuntur: *Domine, recordati ſumus, quòd ſeductor ille &c. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum.* O ferocia nimis animalia, quæ vidit Ezechiel quæ volabant alis plumis refertis, & de ſe fulgura & horrenda explodebant tonitrua, habebantque ſub alis manus, ita vt ala non moueretur, niſi ſecundum diſpoſitionem, aut permiſſionem manuum. Animalia crudelia veſtris volate cogitationibus & machinationibus, poſtulate, præſcribite, prætendite, eò enim Dei manus tendit: etenim ſi cuſtodes petitis ſepulchri cum impietate, hoc ipſum eſt quod Deus ſummâ diſpoſuit ſapientia, vt fieret ad veſtram confuſionem, quò velut fumus in aëre deficiatis. Oculos conice in id quod diues agit pro morte, & impij pro ſepultura, & præclara hic inuenies notanda, cuncta mi-
12. 23 randis plena myſteriis.

IV. Primum ſit, id quod per diuitem pro Chriſto in morte ſua prouidetur, fuit alienum ſepulchrum: erat etenim proprium Ioſeph, atque ſibi ipſi extruxerat: vnde Chriſtus in ſepulchro conditus iacuit alieno. Secundum ſtatuitur illud fuiſſe nouum. In quo nondum quiſpiam poſitus erat. Fuit inquiunt D. Ambroſ. *a* & D. Auguſt. *b* a *Ser. 58. de ſepul-*
ſepulchrum venter virginalis, de quo Chriſtus *chro Do-*
naſciturus erat immortalis, ſicut de Virgine na- *mini.*
tus eſt mortalis. Tertium notetur non fuiſſe b *Ser. 155.*
ſepulchrum defoſſum in terra, nec de lapidibus *de temp.*
ſectis aut terreis extructum, ſed de petra exciſum, non deorſum ſubtus terram ſed altiùs eleuatum inſtar abaci: talia quippe ſolebant eſſe ſepulchra Iudæorum. Quartum conſideremus: vnctus fuit permagnâ myrrhæ & aloës abundantia: nam poſitum deſuper linteum funerale, eius corpori ſicut gluten fortiſſimum coagulatur. Quintum perpende: concluſit illud & obſtruxit ſaxo magno nimis, inſtar rupis: *Saxum magnum*, ait Euangeliſta Matthæus D. verò *Matt. 27.*
Marcus *Lapis magnus valde.* Hoc diues ille con- *60.*
tulit: *Pro morte ſua.* Veniant impij: *Dabit im-* *Marc. 16.*
*pios pro ſepultura*, & cum modo ſit ſepultus, cu- *4.*
ram gerant ſepulchri: poſtulent à Pilato cuſtodias, & Deus ordinat, vt illis hoc concedatur, ipſique tales eligant, quales voluerint: *Habetis cuſtodiam, ite cuſtodite ſicut ſcitis.* q. d. eligite tot quot placet milites, vobiſque qui ſatisfaciant, quibus negotium hoc fidatis, & illos ſtatuite cadaueris cuſtodes, quo meliori modo ſcitis, & veſtræ conformiter intentioni. Non hoc illis ſatisfacit, inſuper & circumquaque ſignant ſepulchrum, quod vt opinor à Dario Rege didicerunt: qui vt ſecuram tutamque redderet leonum caueam, ne quis Danielem extraheret, vel ei noceret, lapidem eius regio obſignauit annulo. Vah Improbi proditores, hæc vobis omnia aduerſantur & cõfundunt, & hæ veſtræ cogitationes Deo militabunt, vt eius tantò patentiùs conſtet Reſurrectio, ac veſtræ machinationes inſtar fumi diſſipentur: hoc etenim optimè callebat illa:
quæ dixit: *Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi* *1. Reg. 2.*
*præparantur cogitationes.* Omnes veſtræ cogita- *3.*
tiones ac intentiones Chriſto ſeruiunt, & Reſurrectionis Dominicæ præparant argumentum.

Primò: quòd Dominus conditus fuerit in ſe-
pulchro alieno, licet ſecundum D. Ambroſ. *a* & a *L. 10. in*
D. Auguſtin. *b* præferat, mortem non fuiſſe illi *Luc.*
propriam, ſed alienam pro nobis ſcilicet, tamen b *Ser. 135.*
etiam oſtendere voluit, quòd modico tempore *de temp.*
in illo ſepultus iaceret. Vir genere conſpicuus ad hanc accedens ciuitatem, paucíſque in ea diebus hæſurus, propriam non ædificat domum ad quam ſe recipiat, ſed ſumit aliquam amico ſuo propriam. Qui verò hic fixam habiturus eſt ſedem & quaſi in terra propria moraturus, iuſtum eſt vt paret ſibi domicilium. Omnes ho-

mines longo tempore moraturi ſunt in ſepulchro: *Donec atteratur cœlum, non euigilabis, nec conſurges de ſomno ſuo* (loquitur Iob) *vbi conſtituta eſt domus omni viuenti:* quod D. Auguſt. ſubtiliter expendit declarans illud: *Sepulchra domus eorum illorum in æternum:* Vnde poſſunt debentque homines ſibi effodere ſepulchra, & hoc quantò ſunt auctoritate digniores tantò incumbit illis hæc ædificare ſtudioſiùs, vt Iob affirmat de Regibus: *Qui ædificant ſibi ſolitudines*, (id eſt ſepulchra: quia ſolos ibidem illos relinquunt) nec aliquid ſibi quiſpiam debet cenſere magis proprium, quàm ſepulchrum. Quocirca Abraham magnus ille proauus credentium, licet intelligens ſe peregrinum eſſe ſuper terram, noluerit in illa poſſidere vel paſſum pedis ſibi proprium, vt notat D. Stephanus: *Nec paſſum pedis*, ſibi tamen prompta probataque pecunia comparauit à filiis Hemor agrum ſibi poſteriſque ſuis in vſus ſepulchri. Iuſtum eſt vt qui tam diuturno hic manſurus eſt tempore, domum ſibi comparet, & habitaculum ædificet. Chriſtus non longam in ſepulchro tracturus eſt moram, non vltra triduum, & hoc quidem non integrum; vnde non neceſſe erat vt proprium effoderet ſibi mauſolæum.

Iob 14. 12.
Iob 3. 14.
Act. 7. 5.

Omnia hæc ingenioſè terſeque ſcribit D. Auguſt. a ex verbis D. Ambroſij: *Vt quid ergo in propria ſepultura, qui in ſe propriam mortem non habebat? Vt quid illi tumulus in terris, cuius ſedes manebat in cœlis? Vt quid illi ſepultura qui triduani tantùm temporis ſpatio non tam in ſepulchro iacuit, quàm velut in lecto conquieuit?* Quod autem nouum eſſet, idem confirmat D. Thom. ſi namque fuiſſet antiquum, in quo & alij ſepulti fuiſſent, dubium Iudæi obiecißent, quiſnam eſſet, qui à mortuis reſurrexiſſet, & qui in ſepulchro remanſiſſet. Et quamuis Chriſtus viuus de monumento ſurrexiſſet, dicerent hoc factum virtute alicuius corporis ſancti ibidem ſepulti, quod Chriſti corpus attingens ad vitam reuocaſſet, ſicut factum legimus in cadauere illo proiecto in ſepulchrum Eliſei, cuius contactu ſubito reuixit. Quòd in petra concluſum fuerit, eiuſdem ſolidum eſt argumentum: ſi namque fuiſſet in terro effoſſum, calumniarentur illud de ſubterra erutum. Quod ſi de lapidibus ſectis extructum fuiſſet exprobrarent quempiam aliquos inde eruiſſe ſibique aditum ad ingreſſum præparaſſe. Excauetur igitur in petra, vt nec agere quis poſſit cuniculos, nec illud ingredi niſi cum euidenti ruptura. Deinde quòd fuerit inunctus copia myrrhæ & aloës, vt linteum corpori mor-

D. Avg. a Ser. 133. cit. To. 10. b Ser. 58. cit.
3. p. q. 51. a. 1. ad 4.

tuo firmiter conglutinaretur, idem confirmat, ſi namque quiſquam cadauer furaretur, nullo modo poſſet amiculum ferale à corpore diſſoluere, nec non ſudarium, cui caput eius erat inuolutum; quocirca remaneat vt teſtis Dominicæ Reſurrectionis irrefragabilis, ſufficiens vt ſtatum Sabaudiæ reddat feliciſſimum tam pretioſo theſauro, & perpetuis illuſtrem miraculis. Saxum magnum aduolui ad oſtium monumenti, vt moueri prope ſit impoſſibile, ſolidis idem affirmat, cum enim tantæ molis ſit, moueri non poterat niſi magno populi ſtrepitu, & notitia eorum qui tam apertas habebant aures viſi, qui vigiles adſtabant monumento.

## §. II. *Hic liquido conſtat, quod ait Iſaias: dabit impios pro ſepultura Chriſti.*

PORro præcipua eius argumenta colligimus ex impiorum actu, quo vigiles adhibent ſepulchro, illudque ſignant. Hoc agite quod iubet ô impij: quantò namque huic diligentius operi aduigilatis malitiæ veſtræ obſequentes, tantò probatis euidentius Chriſti reſurrectionem. Omne quod agitis, & molimini, probatio eſt iuridicus, quo manifeſtè Chriſti Reſurrectio confirmatur. Ad Saluatoris noſtri probandam Reſurrectionem, neceſſario requirebatur horum omnium iuridica probatio. Primò: Chriſtum viuere. Secundò: fuiſſe mortuum. Tertiò: fuiſſe ſepultum. Quartò: à nemine de ſepulchro extractum. Vltimò: in eo amplius non eſſe. Omnes hos articulos vosipſi veſtra diligentia aſſeritis. Primum: fatemini vixiſſe. *Recordati ſumus quod ſeductor ille dixit adhuc viuens*. Secundum aſſeritis iam non viuere, ſed eſſe mortuum: *Adhuc viuens*: non eſt iam viuit, & dicere hoc poterant, quandoquidem Pilatus iuridicam inſtituiſſet informationem de morte per Centurionem, quem miſit ad eius confirmationem. Tertium aſſeritis eum iam hoc in monumento reconditum: pariter iam in illo non eſſe teſtamini. Tandem per hoc quod aptis confirmatis à nemine fuiſſe ablatum, quia vobis eius cuſtodia incumbebat, & vigiles quos voluiſtis adhuibuiſtis, & ſignaſtis ſigillo monumentum.

Reſurgens prodijt Dominus die Dominica ante ſolis ortum, & hoc abſque vllo ſtrepitu vel tumultu, vel cuſtodum aduertentia: vt enim Chriſti corpus ſurrexit glorioſum, de ſepulchro proſiliit ſaluo ſignaculo, lapide immoto, & in-
fracta

ſcta, atque illæſa obſtructione: corpori enim glorificato cenſetur eſſe proprietas ſubtilitatis. Deinde deſcendit Angelus, & deſcenſu ſuo de cœlis terræ motum excitauit: *Et ecce terræ motus factus eſt magnus: Angelus enim Domini deſcendit de cœlo.* Hunc Deus terræ motum fieri decreuit, qui primus fuit qui percipiebatur, vt ſi vigiles obdormirent, vel aliis detinerentur, eius excitarentur, & ſeduli aduigilarent: conueniens enim eſt, vt ſi quempiam velis alicui rei aures præbere attentas, primò vel altiùs inclames, vel brachio compellas, vt illi quod agitur diligenter attendat. Hoc terræ motu milites turbantur, omnes in ſepulchrum oculos coniiciunt: hoc namque eorum curæ ac ſollicitudini commiſſum erat, & ecce conſpiciunt Angelum, qui accedens reuoluit lapidem: vnde patenter viderunt, quiſnam aperiret monumentum, nec ibi iam corpus eſſe Saluatoris. Porro vt erat Angelus albis & ſplendidis indutus, facies tamen illius vt fulgur, terribilis emicabat, & quaſi radios igneos efflabat ad non leuem militum cuſtodum formidinem: vnde ſic Euangeliſta: *Præ timore eius exterriti ſunt custodes, & facti ſunt velut mortui.*

Si quando Angelus Domini conſolaturus Danielem talis ei apparuit, vt de ſe ipſe fateatur: *Et non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui nec habui quidquam virium.* Quid in illis fieret ad quorum terrorem, metumque deſcendebat Angelus, tamque terribilis apparebat, & quantum arbitror eorum arguens incredulitatem, atque de loco illo, vtpote illo non dignos expellens? Exterriti & pauore conſternati fugam arripiunt verſus Hieruſalem, & quæ facta fuerant teſtes enarrant oculati. Tunc illorum fumus, qui Chriſtum abominabantur, & nequitiæ diſſipatæ ſunt; hoc autem vnicè ſatagunt, vt copioſam cuſtodibus pecuniam promittant, & largiantur: hoc illis perſuadentes: *Dicite, quia dormientibus nobis venerunt diſcipuli eius & furati ſunt eum:* Exclamat hic D. Auguſt. *O vanitas vincens vanitatem. Si dormiebant cuſtodes, vnde ſcire potuerunt, quis illum tulerit de ſepulchro? Aut quid vigilabat male? O male, de quo non ſine cauſa dixit Propheta: Dabo malos pro ſepultura eius.* O *mali, ô peſſimi: aut vigilabatis, & cuſtodire debuiſtis, aut dormiebatis & quid factum ſit neſcitis.* Impletum eſt quod Spiritus S. per Pſalmiſtam *multis ante prædixerat. Cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.* Quoties pſaltes Regius eandem hanc expendit rationem? *Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum.* Quidquid agunt & loquuntur intrat gladius in corda ipſorum, & arcus eorum confringitur.

Matth. 28.

II. Angeli aduentus ... (margin, partly cut off)

Daniel. 10.

D. Auguſt. ... (margin, partly cut off)

III. Iudæorum ... Chriſti Reſurrectionem. (margin, partly cut off)

Pſal. 20. 12.

Pſal. 63. 8.

Refert D. Gregor. Turonenſ. quòd ipſa nocte Paraſceues, cum omnibus perſpicuum eſſet id quod Ioſeph ab Arimathia fecerat, ſepulchro tam honorificè recondens corpus Chriſti, determinarint iſti Saluatoris oſores & ferales inimici illum in vincula conicere, ſicut de facto ſtrictiſſimo illum carceri manciparunt, ipſique cuſtodes ergaſtuli adſtiterunt: nec enim aliis vigilias confidebant. Eadem horâ, quâ ſepulchri cuſtodibus apparuit Angelus, alius etiam apparuit Ioſeph, atque: Chriſti amice integerrime, exulta & iubila: iam etenim viuit à morte reſuſcitatus; cumque ille iam à ſepulchro ſolutus liberque exierit, ratio poſtulat, vt & tu de carcere ſoluaris & grauiter carceris concutiens parietes, Ioſephum inde liberum eduxit & incolumem. Non modicè turbati Iudæi cuſtodes, ceteris rei narrant nouitatem: & eadem tempeſtate de his inter ſe loquentibus ſuperueniunt milites cuſtodes ſepulchri, & quæ viderant ſincerè manifeſtant. Maledicti illi proditores in ipſos inſurgunt milites, eos accuſantes muneribus, & pecunia corruptos, quodque ipſis conſentientibus quiſpiam accedens inde Chriſti corpus abſtuliſſet: vnde acerbè minantur ſe coram Pilato querelas aduerſus eos depoſituros, meritiſque pœnis plectendos. Milites quæ circa Ioſeph acta erant, intelligentes illis reſponderunt: Verum eſt nos Chriſti corpori vigiles adſtitiſſe, vos quoque Ioſeph carcere concluſum cuſtodiſtis: date nobis Ioſeph, & nos vobis reddemus Chriſtum: Ecce quomodo, *ſicut deficit fumus, defecerunt:* Vt illi machinas ſuas in aëra cerni enanuiſſe, & inſtar fumi diſſipatas, ſtuduerunt agere cum cuſtodibus ac militibus, vt tamquam verum euulgarent in publicum, quod iam illis apertè fraudem & mendaciũ eſſe conſtabat, & eius quaſi mercatores emere voluerunt mendacium copioſam illis promittentes danteſque pecuniã: *Pecuniam copioſam:* vt certo certius affirmarent, ſe dormientibus eum à diſcipulis clanculum accedentibus furto fuiſſe ſublatum.

25

IV. Ioſeph ab Arimathia de carcere ſoluitur per Angelũ. *L. 1. hiſt. c. 210.*

Matth. 28. 12.

Tantam quantam voluerunt militibus pecuniam numerarunt; hæc illis aliud ingeſſit, docuitque idioma, quod auro proprium agnoſcimus vt expendit D. Ambroſ. notans fluuium Phiſon quod eſt *Oris commutatio*, rigare terram Heuilath: *Vbi eſt aurum optimum*, & lapides pretioſi: *& aurum terræ illius bonum eſt, & lapis carbunculus & lapis praſinus.* Non hoc gratis ac in-

» D. » Ambr. » In illud pſ. » 1. Erit » tamquã » lignũ » Tom. » 2.

V. Pecunia peruertit omnia. inconſideranter dixit Spiritus S. Phiſon idem eſt ac *Oris commutatio. Meritò os illic commutatum, vt non teneatur promiſſorum fides, ſed ſit in ore dolus, vbi eſt aurum bonum.* Vbi fulget aurum oris fit commutatio, cogenque te dicere nigrum album, cuius veritas patet in militibus ſepulchri cuſtodibus: *Auaritia enim* (ita D. Ambroſ.) *fidem frangit, nec tenet verborum ſimplicitatem, ornamenta quoque pretioſa mentem animumque commutant: vt aliud in pectore, aliud in ſermone ſit.* Vt præclara ſtupeo D. Auguſt. verba in Pſal. 55. hæc verba ponderantis. *Inhabitabunt & abſcondent.* Exponit primò: quòd etiam ſepulto ac mortuo Domino falſiloqui aduerſus eum teſtes ſurrexerint: *Caro ipſius iam ſepulta falſos teſtes pertulit. Parum eſt eos pertuliſſe in iudicio,* coram Pilato totoque Concilio: *Perpeſſus eſt in ſepulchro.* Secundò: *Acceperunt pecuniam vt mentirentur & dixerunt. Cum dormiremus venerunt diſcipuli eius, & abſtulerunt eum. Tales autem erant cæci Iudæi vt crederent dicto omnino incredibili. Crediderunt teſtibus dormientibus. Aut falſum erat, quod dormierant, & mendacibus credere non debuerunt, aut verum erat quod dormierant, & quod factum eſt neſcierunt.* Idem aſſerit in pſal. 58. titulum: *Ecce quales teſtes mendacij contra veritatem produxerunt, interroga teſtes dormientes, reſpondeant tibi, quid actum ſit in ſepulchro: qui ſi dormiebant, vnde ſcierunt? ſi vigilabant, fures quare non tenuerunt?*

D. Aug. in Pſ. 55. To. 8.

D. Aug. in Pſ. 58. To. 8.

Corrupit & peruertit illos auri denarius, quem receperunt, excæcauit illos oblata pecunia, atque hac cæcitate veritatem Reſurrectionis Dominicæ celare ſtuduerunt. Saluatorem capturi contractum inierunt cum Iuda, quatenus illum proditor manibus eorum traderet, attamen non omnem quam optabat pecuniam illi tradiderunt, ſed de pretio reſciderunt, & detraxerunt: hoc verba illa ſignificant Euangeliſtæ: *Pacti ſunt pecuniam illi dare, & ſtatuerunt triginta argenteos.* Primò: pactum inierunt magis vel minus, more venditorum & emptorum, & tandem conuenerunt cum Iuda de pretio triginta denariorum: erant etenim ipſa cupiditas & auaritia: vnde quilibet denarius quem expendebant his erat quaſi dens ex illis vnus de molaribus. Porro hic de pretio non altercantur, non reſcindunt, ſed militibus offerunt quantum ipſis bene placuerit, & pleno pecunias effundunt marſupio, (a) tantum vt illis mendacium venderent quod petebant, & maximi referebat: videbant enim ſi veritati fides adhiberetur, ſe pudore maximo confundendos, irridendos & exſibilandos: & quidquid contra Chriſtum moliti fuerant ad maiorem eius cederet gloriam, & cauſæ eius iuſtificationem, opprobrium autem illis & maximam confuſionem. Impletum eſt autem per hoc inſigne illud Dauidis oraculum, quod aliàs expoſuimus, quò Domini huius egregiè celebratur triumphum: *Iubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius. Dicite Deo: quàm terribilia ſunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.*

Luc. 22. 5.

(a) Abaca de coſtal.

Heu miſeris miſeriores: eorum etenim molimina ſtudiaque omnia diſſipata ſunt, ac velut fumus & ventus diſperſus in aëra euanuerunt; hinc illis ruina malumque extremum; nam *ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei:* Cera quæ fortis erat ac ſolida, quali apparet liquefacta, quando ignis calore ſoluta & effuſa huic illucque velut aqua diffluit: ſic illos conſpicio maledictos: igne diuinæ vindictæ ſunt liquefacti in tanti pœnam ſceleris, et cum populus eſſent optimè Deo vnitus, effuſus ſit abſque viribus infirmus, per omnem terræ deffluens regionem, toto vagabundus orbe, ſine Rege, ex lex, orbus prophetis, nudus Sacerdote, ſacrificio ſpoliatus, altari temploque priuatus, à Deo denique deſtitutus, à facie eius electus tremulus, omneſque quos cernit formidans vt aduerſarios. Cain meritò conferendus, qui à facie Dei profugus, totoque exul orbe, timore & tremore percuſſus, ſic effatur: *Ecce eijcis me hodie à facie tua &c. Omnis qui inuenerit me occidet me.* Quod ſi in mundo ſuperſtites viuant, velut Cain, ex diuino fit hoc conſilio, quia ſic ipſe Deus conſtituit, quatenus eorum diſperſio & perditio ſit perpetuum, atque euidentiſſimum nequitiæ quam commiſerunt argumentum, quo ſi quis viderit clarè cognoſcat triumphum inuicti noſtri Ducis illuſtriſſimum.

## §. 12. *Victoria Reſurrectionis Domini ea dirigitur, vt iuſti exultent, & cum eo hilares epulentur.*

VLtimò videamus in cuius hic triumphus gloria redundet vtilitatem: *Et iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* Confirmare poſſumus in commodum hoc cedere electorum, quandoquidem vel conſtanter declaret Apoſtolus, quod ſurrexerit ad noſtram iuſtificationem: *Traditus eſt propter delicta noſtra, & ſur-*

*is, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Noſtra iuſtificatio eſt per quam anima noſtra viuit, vnde vita noſtra dependet à Chriſti Domini Reſurrectione: *Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit.* Porro cum non vacet hoc argumentum latiùs explicare ea declarando bona quæ Dominus in nobis per Reſurrectionem ſuam operatur, hoc dico tantum quod verba pſalmiſtæ ſuperficialiter indicant. Reſurrexit ad electorum ſuorum commodum & beneficium, vt ab eorum oculis lacrymas abſtergeret, qui tantopere affligebantur ex fumo Phariſaicæ peruerſitatis, ad non exiguam eorundem conſolationem. O quantopere eorum ſolamine demulcebatur, quando ſe in eius viderunt præſentia, & cum gauiſi ſunt eorum eis adſtare viuum, glorioſum, reſuſcitatum! Quam ſplendidus illis ſol oriebatur! Quam gratus illis Maius efflorebat!:

*Claro Paſchali gaudio*
*Sol mundo nitet radio*
*Cum Chriſtum iam Apoſtoli*
*Viſu cernunt corporeo.*

Ceteris tamen multo lætior Virgo ſanctiſſima, quando prima omnium coram ſe conſpicit glorioſum. Chariſſima illi Magdalena, quæ lacrymis plorabat irremediabilibus: quando vocatam proprio nomine percipit, qualis tum illa: An Maius poteſt eſſe iucundior? Sanctæ mulieres quando comiter eas ſalutauit: *Auete*, quàm lætum duxerunt Paſcha! Diſcipul. in Emmaus, quos narrat Euangeliſta in menſa recumbentes cum agnouiſſe rediuiuum, quanto perfuſi gaudio fuerunt? Quid commemorem Apoſtolos, quando ad veſperam glorioſus eis apparuit? *Gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino*: Tantoque mens eorum gaudio delibuta eſt, vt quod oculis cernebant, credere non poſſent. *Adhuc autem illis non credentibus præ gaudio* cibum ab eis poſtulat, dantque illi *Partem piſcis aſſi, & fauum mellis*, quo ſumpto porrigit illis reliquias, vt coram eo hilares veſcantur, dicaturque illud: *Iuſti epulentur & exultent, in conſpectu Dei*: & hoc non ſemel ſolum, ſed ſæpius iterauit, quando ſcilicet in mari piſcantibus apparens, ait: *Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis &c. Et accepit panem, & dedit eis, & piſcem ſimiliter.*

Hoc autem itas verum aſſeritur, vt vltimo illis apparens iam aſcenſurus in cœlum, cum illis ad menſam reſederit, & comederit *Recumbentibus vndecim diſcipulis &c. Et conueſcens* id eſt cum illis pariter comedebat. *Præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent &c.* Ecce qualiter. *Iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei.* Deinde præterquam quod iuſtos epulari in conſpectu Chriſti & cum eo, fuerit ad eorum lætitiam, quandoquidem gaudia & lætitiæ feſta communiter conuiuijs epuliſque celebrentur, vt probatur in conuiuio geniali Abrahæ in die ablactationis filij ſui Iſaac, atque in victoria quam Samſon de leone retulit, & in reditu filij prodigi, alijſque occaſionibus; porro voluit per hoc etiam Dominus irrefragabile dare argumentum, & euidentiſſimam præbere Reſurrectionis ſuæ confirmationem, quodque realiter, vereque viuus eſſet: etenim comeſtio actio eſt vitalis, nec poteſt verè comedere, qui non viuit. Idcirco ipſe Dominus filiam Principis Synagogæ Capharnai reſuſcitans, iuſſit illi continuo dare ad manducandum, atque vt in conſpectu omnium veſceretur. Demum vt innoteſceret Lazarum realiter ac verè rediuiuum, acceptauit cœnam, quam illi Martha & Maria præparauerant, in quâ Lazarus coram omnibus conueſcens accumbebat. Ea de cauſa coram diſcipulis ſuis iam rediuiuus comedere voluit, & in particulari contigit hoc quod narrat D. Lucas, quod ipſo die Reſurrectionis ſuæ cum iam ſero factum eſſet, apparuerit diſcipulis ſuis, ita vt oculis ſuis eum præſentem cernerent, quos eo modo ſalutauit, vt eius vocem perciperent dicendo: *Pax vobis.* Deinde præcepit, vt eum ſimiliter manibus ſuis palparent, eiſque demonſtrans manuum, pedum, laterisque vulnera, monuit vt ſuis illa manibus contrectarent; *Palpate & videte.*

III. Comeſtio actio eſt vitalis.

27

IV. Quæſtio de vulneribus Chriſti.

Duas hic diuerſas offendo difficultates. Prima: num in corpore Chriſti vulnera remanerint, hoc eſt, realiter perforata, latuſque realiter hians & apertum. Secunda: num realiter & actualiter illa contrectarint Apoſtoli. Circa primam extra controuerſiam eſt, quin indicia remanſerint vulnerum, quæ Chriſtus perpetuo conſeruabit, quod probat D. Cyril. Alexan. *a* & Hieroſolymita *b* ex illo Zachariæ: *Quid ſunt plagæ iſtæ?* Nec non ex Angelorum interrogatione. *Quis eſt iſte qui venit veſtibus &c.* Et proſequitur D. Auguſt. *c* & alij quos citat Suarez. *d* Hæc ea eſt difficultas. An aperturæ manſerint, nam videtur ſentire D. Auguſt. quod non ſed tantum manſiſſe cicatrices: etenim videtur obeſſe perfectioni corporis habere vulnerum aperturas. Porro communius habet opinio quod aperturæ apparuerint ita inſinuat D. Cyril. *f* & alij quos citat Suarez & potiſſimum mouetur apud D. Petr. Chryſolog. *Et ſi Dominus eadem*

*a l. 12. in Ioan c. 58.*
*b Catech. 14.*
*c Epiſt. 49. q. 1. & l. 2. Symbo ad Cathe. c. 8. & l. 22. de ciuit. c. 20.*
*d 3. p. Tom. 2. q. 54. diſp. 47. ſect. 2.*
*e Epiſt. 47.*
*f l. de fide ad Theod.*
*circa finem*

*eadem redit in carne vulnera reportat, ipſa clauorum foramina reſumit, & ipſa facit teſtimonia ſui corporis, ſuæ reſurrectionis indicia, quæ fuerant contumeliæ paſſionis.* Opinatur D. Petr. Chryſol mandatum fuiſſe Chriſti, vt aperte ſuam illis aſſereret Reſurrectionem, vt palparent, & digitos ſuos infigerent profunde vulneribus: *Videte manus meas &c qui in grauatis oculis caput adhuc reſpicere non potiſtis, videte carnis vulnera; quia Dei opera non videtis: conſiderate inimicorum titulos, quia Dei adhuc non conſideraſtis inſignia. Palpate vt vel manus fidem faciat, quia videns oculus ſic cæcatur. Oculus non videt tactus. Digiti veſtri intrent veſtigia clauorum, manus veſtra alta vulnerum exquirant, aperite manuum foramina, fulcite latus, renouate vulnera: quia negare non poſſum diſcipulis ad fidem, quod inimicis ad pœnam ſæuientibus non negaui. Palpate, palpate & vſque ad oſſa inquiſitores ardui peruenite. vt vel oſſa carnis aſtruant veritatem, & me eſſe ipſum, vel vulnera ſeruata teſtentur.*

D. Pet. Chr. ſer. 81. huius Euangelij.

Non hoc te prætereat: *Renouate vulnera.* O immenſam Dei bonitatem, ad quæ ſe demittit in noſtram ſalutem, vt in hoc articulo tanti momenti omnem à nobis auferret dubitandi occaſionem. Appoſitè proferuntur hic rationes, cur Dominus hæc voluerit vulnera ſeruare quas trutinat D. Thom. & proſequitur doctiſſimus Suarez. Hoc ſuppoſito præceptum fuit expreſſum à Chriſto datum vt palparent, vt D. Petro quatenus ſe à Domino lauari permitteret vt ſuam in fide ſolidaret Eccleſiam. Et hoc credunt Apoſtolos dixiſſe D. Thomæ, qui Chriſtum viderant eiuſque vulnera tetigerant: vnde & illis ait: *Niſi videro fixuram clauorum.* Si namque tantummodo illi dixiſſent ſe vidiſſe Dominum reſuſcitatum: ratio non ſuppetebat volendi plagas eius contrectare, quandoquidem videtur, quòd reſuſcitatus vulnera gerere non deberet: cum hæc potius ſint mortui teſtimonia corporis; Et ſi illi quos Dominus ad vitam reuocauit, regreſſi ſunt ad auras ſani ac robuſti, quantò magis de illo credendum erat qui ſe ipſum ſuſcitauerat. Vnde non poſſet D. Thomas agere de vulneribus, quæ Chriſtus circumferens oſtentabat, niſi dictum illi fuiſſet, eum vulnera palpanda demonſtraſſe: ita vt Chriſtus ea habuerit, eaque Apoſtoli contrectarint, *Carnem & oſſa.* Et hoc arbitrantur nonnulli à D. Ioanne ſignificatum: *Quod vidimus, quod perſpeximus quod manus noſtra contrectauerunt de verbo vitæ.*

§ p. 9. 54. diſp. 47 ſect. 2.

a. Ioan. 1. 1.

Quamuis autem D. Hieron. ſentire videatur Apoſtolos nec manus, nec pedes, nec Chriſti vulnera contrectaſſe ex nimia motos reuerentia, & hoc indicet Abulenſ. Porro D. Leo Papa & D. Athanaſ. *b.* opinantur quod ſic: etenim ſic [illegible] conueniebat, vt Dominus quod intendebat [illegible] legitimè teſtaretur. Quinimo D. Clemens Alexan. *c.* & D. Dydimus *d* idem ſuſtinentes aiunt, idcirco plena veritate à D. Ioanne dici potuiſſe: *Quod audiuimus, quod perſpeximus, quod manus noſtra contrectauerunt de verbo vitæ.* Quantum enim ſapio præſentem tangit hiſtoriam: *Videte manus meas & pedes meos: palpate & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Dixit hoc Tertullianus his verſibus

*Auribus audiuere, oculis videre ſalutem,*
*Tractauere manus corpus de morte receptum.*

Et citat varios auctores. *f.* Lor. de D. Thoma quod contrectauerit & palpauerit, digitoſque & manus immiſerit communis fert opinio. D. Aug. idem credit Apoſtolum hunc effari hoc prouerbio: *In die tribulationis meæ, Deum exquiſiui manibus meis.* Idem indicauerant D. Chryſ. & D. Epiphan. vnde bene ſubiungit: *Et non ſum deceptus* nec tu decipieris, ſi ſcrutatus fueris & manus tuas his vulneribus impoſueris.

Modo patet argumentis confirmata irrefragabilibus Reſurrectionis Dominicæ veritas [illegible] teſtimonijs & atteſtationibus, quot fieri poterant, & quæ in omnibus tribunalibus vt [illegible] concludentia perhibentur. Ex oculorum intuitu, ex auditu aurium, ex contactu manuum, & [illegible] ctum probatur, vt nullum ſubſit errori [illegible] lum, aut ratio deceptionis. Potuit Iſaac [illegible] ſicut verè deceptus eſt, indicans eum Eſau eſſe quem ſibi præſentem tangebat: quia [illegible] fidebat manuum, quibus eius manus tangebat & collum; porro defuit illi teſtimonium oculorum: caligabat enim nec clarè videbat; teſtimonium autem auditus nedum non [illegible] bat; ſed & repugnabat, quandoquidem [illegible] rit, vocem quam percipiebat, non eſſe Eſau ſed Iacob. Hic autem omnes pari pede [illegible] conueniunt. Chriſtum contemplantur proprijs oculis, proprijs illum auribus loquentem audiunt, proprijs illum manibus contrectant, nedum corpus eius, ſed & vulnera vt diſtinctè videant eum ipſum eſſe, qui prior fuerat, qui crucifixus, qui vulneratus, qui mortuus iacuerat in ſepulchro. Pro vltima confirmatione: quia nondum ſibi fidere videbantur Apoſtoli, tantoque gaudio perfundebantur; vt credere, quod videbant non valerent, cum licet manibus contrectarent, cibum ab eis expoſcit: *Habetis hic aliquid*

*quid quod manducetur?* Obtulerunt autem ei partem piſcis aſſi & fauum mellis. Coram eis Dominus comedit, vultque vt comedentem aſpiciant, ipſi ſimiliter coram illo veſcantur, Reſurrectionis eius myſterio ſecuram certamque fidem adhibeant, atque cum illo exultent & recreentur. Ad hoc autem eis enarrat quæ paſſus erat, oſtendens ſic expediuiſſe iuxta SS. litterarum oracula, quæ dilucidè illis explicauit, illiſque rationes, & antiqua protulit teſtimonia, quæ narrat & cum illis habuerat, quando vitæ viuebat adhuc mortali: *Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum.*

Quantum noui idem contigit Iob, vt conſtat ex S. Pagina: poſtquam enim à lapſu ſuo erectus eſt, & à graui illa notaque omnibus emerſit calamitate, parentes eius & amici conuenerunt illum, & læti omnes quod illum abſorptis tot doloribus, & calamitatibus ſuperatis tantâ viderent gloria, atque proſperitate ſublimem, conuiuium inſtituerunt geniale, cum illo pariter, & ipſe cum illis, accubuerunt, illa quæ paſſus fuerat ad memoriam reuocantes: gratæ namque ſunt & iucundæ de tempeſtate collocutiones, quando tranquillo iam placidoque pelago quieſcimus, & de aduerſitatibus, quando de illis fortuna gaudemus proſperiori: vnde ſic S. Textus: *Venerunt ad eum omnes fratres ſui, & vniuerſæ ſorores ſuæ, & cuncti qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius, & mouerunt ſuper eum caput, & conſolati ſunt eum ſuper omni malo quod intulerat Dominus ſuper eum.* Ibi verò omnes ſua ſinguli munera particularia illi obtulerunt, & congratulati ſunt, fauſta omnia apprecantes. Eo igitur animo Dominus à morte rediuiuus, eorum ſeſe obtulit adſpectui, cumque illis comedit menſæque accubuit. O quale gaudium! O quales confabulationes! De hoc ſibi D. Petrus congratulabatur: *Nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit à mortuis.* Exultent in hac ſolemnitate iuſti, illis etenim celebratur: exultent videndo Saluatorem à mortuis iam immortalem: illis etenim ſurrexit: Omnes autem exultemus, & ſeniorem audiamus Iacob exultantem: *Sufficit mihi, ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit, vadam & videbo eum.* Eadem mentis iubilatione, iiſdemque vocibus, dicamus & nos. Sufficit mihi. *Si Ieſus meus viuit, vadam & videbo eum.* Iam vt opinor ab eis hoc Iob Propheta didicit, ait enim: *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum.* Non eſt opinio, ſed certitudo, omni ſcientia maior & euidentia: quod ille qui mortuus eſt vt me à morte redimeret, reſurrexit, vt ad vitam me reuocaret immortalem: & ſi viuat ille, viuam & ego, & ſi ſurrexit ille, ſurgam & ego: *Si Chriſtus ſurrexit, & nos reſurgemus*; ſi viuit ille reſuſcitatus, & viuit in me per gratiam, non eſt quod in mundo quid optem amplius quam vt ſperem hoc, & confidam, quòd regnabit in me, & ego in illo per gloriam in omnem æternitatem.

§. 13. *Finem imponit Prædicator officio ſuo denarium Dei dans: ipſe namque eſt, cui debent Auditores reddere illum cum vſura: vt autem hoc congruenter digneque faciant, pro illis Prædicator intercedit.*

His abſoluitur Quadrageſima, nec aliquid hic mihi ſupereſt agendum. Rationi conſonum erit antequam hinc diſcedamus, 28
computum ineamus, & concludamus, vt olim fecit Prædicatorum primipilus D. Paulus cum Epheſianis, & teſtatur D. Lucas. Inter illos diebus aliquot fuerat commoratus verbi prædicationi continuo, & feruenter inſiſtens: cumque iam diſceſſum cogitaret Mileto prope Epheſum omnes conuocauit primarios Epheſianos, vt cum illis rationem iniret, plenamque daret ſatisfactionem in vrbe illa Epheſo conuerſationis, ac concionum: cumque omnes in vnum conueniſſent, inter alia tria illis proponit. Primò: ſic coram illis proteſtatur: *Conteſtor vos hodierna die: quia mundus ſum à ſanguine omnium: non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* Quaſi diſtinctè clareque diceret, proteſtor, quod officio meo pleniſſimè ſatisfecerim, proinde, ſi quis pereat, innocens ego ſum, nō mihi culpæ interitus adſcribatur. Alludit Apoſtolus ad illud quod Dominus propoſuit Ezechieli: *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium: morte morieris non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via ſua impia, & viuat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaueris impio & ille non fuerit conuerſus ab impietate ſua impia: ipſe quidem in iniquitate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti.* Hæc eſt prædicatoris obligatio, hoc eius munus, vt ſit Dei legatus; vnde ea quæ populo proponere illi incumbit; nefas eſt vt fabulæ ſint, fictiones & ſui capitis inuentiones; ſed Dei verba diuiniſſima: *Audies verbum de ore meo, & annuntiabis eis ex me.* Hoc legati munus

Act. 20. 26.

I. Quod ſit munus Prædicatoris.

Ezech. 33. 17.

2. Cor. 5. 20. nus eſt, & in eius nomine & Apoſtolicorum Concionatorum ait D. Paulus: *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Hoc tangit Prædicatorem, vt fideliter ſuum referat nuntium, & legatione fungatur, cum quâ Deus illum deſtinat, Dei veritatem clarè proponat, impio ſuas annuntiet iniquitates, & inſtantem illi proponat interitum. Si hoc ſincerè Prædicator efficiat, ſuo fungitur officio: quod ſi minimè: morietur Prædicator: *ſanguinem autem eius de manu tua requiram.* Ego, teſtatur D. Paulus: *Mundus ſum à ſanguine omnium: non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* Verbum illud. *Subterfugi* ſignificat diuerticula non quæſiui non præ reuerentia tacui, non timore perculſus abſtinui, quo minus omnia Dei vobis conſilia ſequenda proponerem, nec hoc, quod homines ſcelerati timere debeant iudicia Dei terribilia, nec periculum in quo viuunt eminentiſſimum, & quoties Deus vanam ſpem eorum deluſerit, ſeu ſi placet præſumptiones. Itaque munus hoc nobis incumbit vt Dei nomine eius vobis mandata annuntiemus: cetera veſtram concernunt obligationem, vt illa recipiatis, eiuſque fulti ſubſidio cooperemini. Dominus autem hoc expoſuit in concione illa tot referta parabolis, quam

C. 13. tres referunt Euangeliſtæ D. Matth. D. Marc. D.
C. 4. Luc. vnam autem in medium adduxit, quam ſo-
C. 18. lus Marcus enarrauit. Omnium prima fuit de ſeminante, quam omnes deſcribunt Euangeliſtæ, deinde inter alias hanc annectit, quam ſolus Marcus edifferit: *Simile eſt regnum Dei, quemad-*
Marc. 4. 26. *modum ſi homo iaciat ſementem in terram & dormiat & exurgat nocte & die & ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille: vltro enim terra fructificat primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica.*

Credit Caietan. Dominum inſinuare quid ſit officij Prædicatoris, nempe ſeminare, & deinde cœlo committere, & tibi fructum referre copioſum, vt agit agricola: iacta etenim ſemente iam non habet quod agat, niſi vt cœlo illam terræque confidat germinandam meſſemque prolaturam: quod idem ſpectat Apoſtolus: *Neque qui*
1. Cor. 3. 5. *plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incre-*
In c. 24 Gen. *mentum dat Deus.* Quod eleganter expendit Rupert. circa matrimonium Iſaac tot circumſtan-
Ib. apud Lypoman. tijs à Spiritu S. relatum, quod omnes SS. admirantur, præſertim autem Origen. vt de illo libere dici poſſit: *Omnia in figuris contingebant il-*
1 Cor. 10. 11. *lis.* Iam annis ingraueſcentibus Abraham ad mortem tendebat Sarâ defuncta, Iſaac filius eius quadraginta vir erat annorum, de eius debito matrimonio, multitudine affluebat famulorum habebat enim vltra trecentos decem & octo ad hoc negotium, ceteris vocat ſeniorem, & in rebus agendis aptiorem: *Dixit ad ſeruum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus quæ habebat,* Iura mihi per Dominum, quæ ſtatutum te filio meo Iſaac vxorem, futuram familiæ meæ domuſque dominam. Cui ſeruus: Domine mi: *Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc* &c. *Si noluerit mulier ſequi te non teneberis iuramento, & innocens eris à maledictione mea.* Quod ſi obiecerit, nolo terram meam deſerere, nec domui patris mei valedicere? tui muneris erit ipſam vocare, illique quod ei conuenit annuntiare: matrimonio conſentiat, & hoc veniat familiæ meæ ac domus futura domina. Perpende cum Ruperto Chriſti Apoſtolos, ſeruum antiquiorum in Eccleſia: *Vocauit ſeruum ſeniorem domus ſuæ.* Qui in domo eius auctoritate præſident ſuperiores, ipſos rogat, vt pergant hominesque inuiteut ad ſponſalia quæ Deus illis offert in cœlis, gemmas & monilia deferant. Regnum proponant cœlorum, cuius ipſos promittit heredes fieri legitimos. Adſtringit ipſos vt obligationem exponat vinculû, quo ad viæ tenentur imperatæ, vt eo beati perueniant *Væ mihi, ſi non euangelizauero: ſi non annuntiauero* &c. Attamen illis tantû eſt vocare, vt veniant; ſi vero eius nolentium appetitibus remittere, quibus profundis inhæreris radicibus, liberi mundique ſunt Prædicatores Euangelici ab hac obligatione.

Secunda quædam eſt præcautio, quâ præmonet illos, vt vigiles ſint, & fructû ex eo referant quod illis in concione propoſuit, ſibique cauerent, neminem ipſo recedente, ſtatim haberent qui contra ſua damnoque inuigilarent: *Attendite vobis ipſis, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi Propter quod vigilate memoria retinentes.* Tertia eſt, quod æqualiter eum exceperint, & quâm voluerint audierint doctrinam, ipſe ſibi imponebat pro illis Dominû deprecari. *Et nunc commendo vos Deo & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare, & dare hereditatē in ſanctificatis omnibus,* q. d. quod potui feci: reliquû mihi eſt vt vos Deo ex animo commendem, vt diuino ſuo verbo in vobis operetur: hoc etenim efficaciſſimû eſt ad animarum ædificationem, & totius ædificij virtutû conſtituendi huc per gratiam, & ibi æternæ gloriæ tribuendi hereditatem. Eodem modo finijt Apoſtolus, quo nos concioni modò finem imponimus: hic per gratiam & ibi per gloriam. His Apoſtolus con-

duxit ſuamque abſoluit prædicationem ; & iiſdem ego meas abſoluo rationes terminumque impono prædicationi : quamuis etenim manifeſtum ſit me non eſſe D. Paulum, nec quidem vmbram eius, eum tamen omnes Prædicatores tenemur imitari, & audire quod ipſe nobis intimat : *Imitatores mei eſtote.*

Quocirca dico primò quod ipſe : *Conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium.* Nulli ego culpæ reus ſubiacebo, ſi quis ex vobis qui meas audiuit conciones, pereat ; quod enim mei muneris erat, executus ſum : *Et non ſubterfugi, quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* Diſtinctè clareque locutus ſum, omnibus quæ congrua erant & neceſſaria propoſui : Eccleſiaſticis, ſæcularibus, Principibus, plebeis, nobilibus & popularibus, iudicibus, litem proſequentibus, diuitibus, pauperibus, ſanis & infirmis : Satis euidenter alta propoſui conſilia, & profunda Dei iudicia contra concubinarios, vſurarios, vindictæ ſtudioſos, ambitioſos omnigenoſque peccatores : præmonui vt illa timeant nec vanæ confidant ſpei futuræ morum vitæque correctionis, cunctaque ſibi proſpiciant : non enim minoris momenti negotium agitatur, quàm vitæ æternæ cum Deo, vel ignis cum dæmone ſempiterni. Non obſcurè ſenſuali ſuam reuelaui calamitatem, & periculum, ſuam vſurario nequitiam & iniuſtitiam, vindictæ flagranti damnum ſuum perniciosum, ſuam mundi ſectatoribus vanitatem, ſuam diuitibus obligationem, ſuamque nobilibus cui adſtringuntur, & plebeis quod illis agendum incumbit : quocirca : *Mundus ſum à ſanguine omnium.* Meæ per omnia ſatisfeci obligationi.

29 Appoſitè declarauit D. Chryſoſtom. *a* ex quo quantum coniicio ſumpſit D. Auguſt. *b* parabolam de quinque talentis, & ſubtiliter Domini querelam expendit aduerſus iniquum ſeruum, qui receptum ab eo talentum non communicauit, veritus ne perderetur : vel certum non eſſet lucrum : dixit enim : *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens cum vſuris vtique exegiſſem illam ?* Tibi ſolum incumbebat dare pecuniam meam ad vſuram, quam tibi commendaui : cum illo lucrari meæ hoc ſollicitudini commendabatur. Dediſſes tu pecuniam meam, & ego mihi cum lucro ſummam requirerem capitalem ab iis qui illam recepeerunt. Hæc eſt obligatio, hoc ſtudium Dei miniſtri, diuini eius verbi pecuniam exponere, pecuniam magni pretij, fidelem, tutamque fidelibus, quibus intereſt cum illa negotiari : rationem autem pecuniæ illius exigere, & lucrum expoſcere, non muneris hoc eſt Prædicatoris, ſed Dei : ipſe namque à te doctrinæ quam tibi Prædicator tradidit exquiret rationem, & verborum quæ percepiſti. Si de minimo verbo otioſo ſtrictam à te repoſcet rationem, quanto magis de tam pretioſis, qualia ſunt eius verba. *Nos* (inquit D. Chryſoſt.) *deponimus pecunias in aures veſtras ; neceſſe eſt, vt reddatis vſurã Domino. Vſura autem doctrinæ nihil aliud eſt, quàm operũ exhibitio.* Secundũ hoc addit, quod adiungit D. Paul. *Attẽdite vobis ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meã &c.* Vobis conſulite, videtur enim illud eſſe quod ait D. Ioan. *Videte voſmetipſos, ne perdatis quæ operati eſtis, ſed vt mercedẽ plenam accipiatis.* Ioan. v. 8.
An laboraſti in Quadrageſima, ieiunaſti, ſtationes Eccleſiaſticas obiuiſti, mane de ſtrato ſermonẽ auditurus exurrexiſti ? Caue ne tanta perdas. Certo certius illico contra vos exurgent aduitẽtes vt nullã inde hauriatis vtilitatem. Iam de hoc Christus nos præmonuit in parabola ſeminantis : ſicut enim eo momento quo ſeminator ſemen terræ mandauit, tergaque vertit, aduolarunt aues triticum rapturæ, quocirca nec in terra radicem potuerit figere, nec proferre fructum : ita iacto ſermone in auditores, & finitã concione : *Venit* Luc. 8. 13.
*diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant.* Et diuino planè conſilio vocatur diabolus auis : *Volucres cœli comederunt illud,* Matt. 13.
notatore D. Greg. ob agilitatem & diligentiã quã 4
ad hoc properè feſtinat, & illico volando adeſt L. 33. mor.
illud erepturus : non diu hæret, & dolendum eſt c. 14.
quod cogito, ex centũ tritici partibus abripit ipſe nonaginta nouem : etenim tu mente perpende quid tibi ex hoc quod prædicatur, memoriæ tenaciter inhæreat. Non opus eſt medio anno expectare, non vno menſe, non vnã hebdomada : iam hodie non recordaris eorũ quæ heri à Prædicatore percepiſti. Adueniente Paſchate, nedum Quadrageſima tranſiit, ſed & omnes eius cõciones. Quot Quadrageſimas audiſti ? quid earum memoria retinuiſti ? O Chriſtiani *Attendite vobis.* Quod vobis inde lucrum, quod emolumentum ſi omne granum paſſer capiat infernalis ?

Optimè Chriſtus ait : *Beati qui audiunt ver-* Luc. 11.
*bum Dei, & cuſtodiunt illud.* Seruant illud oppor- 28.
tunitati : quemadmodum enim menſe Auguſto IV.
colligis triticum, nec ſolum colligis, ſed in totum Similitu-
reſeruas annum : ſi namque negligens hoc o- do.
mitteres, ſed fluuio patereris abripi & deorſum D. Aug.
defluere, nullam tibi meſſis adferret vtilitatem : Ser. 55. &
ſic oportet vt fiat in Quadrageſima, quam id- 56. de
circo D. Auguſtin. tempus appellat Auguſti temp. T. 10.

meſſiſque Chriſtianæ: cui conformiter argumentatur contra Donatiſtam hæreticum: qui formicam noluit imitari, quæ menſe Auguſto ſedulo cumulat ſibi quo toto viuat anno neceſſarium. Ipſum loquentem audiamus: *Non fuit de ſapientibus formicis, quæ ſibi æſtate colligunt, vnde hyeme viuant. Cum enim res ſunt tranquillæ, tunc homo ſibi debet colligere Verbum Dei, & recondere in intimis cordis ſui, quemadmodum formica cauernoſis in penetralibus labores æſtatis.* Hoc eſt, inquit, quod nobis ſuggerit Spiritus S. nos ad

Prou. 6.6. formicam remittens, vt ab illa magiſtra diſcipuli diſcamus: *Vade ad formicam ô piger.* De quo

Phil. 2.12 diximus aliàs: quibus conformiter vobis dico cùm Apoſtolo ſcribente ad Philippenſes: *Non in præſentia mei tantum, ſed multo magis nunc in abſentia mea, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini &c. Ad gloriã meam in die Chriſti quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui.*

V. Cur Abraham conuiuium inſtituit in die ablactationis Iſaac.

Cum ceteris facinus admiror Abrahæ, qui „ tot annorũ luſtris filij tenebatur deſiderio quem „ illi iam centenario & Saræ coniugi nonagenariæ „ Deus conceſſit, tanto parentis vtriuſque gaudio, „ vt Sara dixerit omnibus futurum eum non leuis „ lætitiæ rationem: vnde nomen illi Iſaac id eſt „ *Riſus* impoſuerunt quamuis autem Abraham „ gaudio exultauerit feſtiuiori, dum natum filium „ videt, inter matris brachia, vberaque lambentem: miraculum omnino inſigne, illa iam vbera „ lacte turgere, quo filium enutriat, illaque iam „ brachia viribus pollere, quibus eum ſuſtentet: „ porro ſolemnem non inſtituit conuiuij diem, do„ nec cum mater ablactaret: tunc etenim *Fecit* „ *grande conuiuiũ.* Ratio verò ea ſit, quia iã viderat „ eum euaſiſſe fortẽ, ſuiſque iam pedibus relictum „ à matre progredientem, nec non pane veſci cum „ cruſta vt dicunt. Quando, dicito mihi feſtum „ tuæ coram Deo natiuitatis inſtituendum? Quan„ do in Quadrageſima lacte te nutrit Eccleſia, & „ ab vberibus pendes puſio Prædicatoris? Non eſt

VI. Applicatio.

„ cur exporrecta fronte gaudeamus, donec illa peracta, te uideamus vegetum, à caſu liberum, nec „ in vetera tua ſcelera collabentem: tunc tempus „ eſt horaque conuiuandi.

Cum tertio finem impono: *Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ eius, qui potens eſt ædificare, & dare hereditatem ſuam in ſanctificatis omnibus.* Sanè ſupra modum obſtringor concurſui adeo copioſo & illuſtri, quo cuncti certatim confluxerunt, ſatisfactioni quam ex doctrina hauſiſſe ſe monſtrarunt, attentioni & quieti, qua concionibus interfuerunt, patientiæ, qua meis conniuerunt imperfectionibus. Hæc vltima mea ſit cataſtrophe, quã à Domino ſupplicem, vt ſuum ille verbum interponat, eſt enim ad animarum per gratiam ædificationem efficaciſſimum. Mea ſiquidem verba aures ſolummodo peruadere potuerunt, & ſæpe nimis imperfectè, vel aliquoties in correctionibus excedendo nimis deſcendendo ad particularia, vel nimis generaliter proponendo quàm ratio ſua debat; quamuis in hoc facilè intelligatur, prædicatores culpa vacare. Sæpenumero qui vineæ cuſtodiendæ præficitur ad vulpes, caneſque ... gendos fructus demolientes lapidem eis adijcit, & dum vulpes caneſque conatur impetere, ... lædit, quot tamen eius voluntati refragantur. Deputantur Prædicatores vt lapidem adijciant ſceleratis, & acrius efferuefcant in iudices, nobiles, diuites, pauperes, & omne genus mortalium. Videtur aliquando generaliter à culpa liberum impetere & accuſare: non ſic iudicandum etenim mens ea non fuit prædicantis, vnam id eſt innoxium arguere.

Intentioni congruenter expendit D. Gregor. ... illam Dei legem Moyſi præſcriptam. Hoc attende; ſi quis in ſyluam abierit ligna cæſurus, eoque laborante, ferri manubrium diſſiliens ... cuiuſque inuaſerit, grauiterque læſerit, vnde ceciderit, iuridica fiat caſus inquiſitio, ... cædens arbores, vel eas purgans ... percuſſo geſſerit inimicitias, vel pacificè ... amicè vixerit. Si cum illo ſimultates habuit, ſuſpicio timeri poteſt datâ operâ ferri manubrium excidiſſe in alterius non leue detrimentum, pœnæque ſubiacebit vt culpæ reus; ... ſi tale nihil præceſſerit, credendum eſt eum intentionem non habuiſſe proximo officiendi, ... quod caſu inter cædendum aciæ ferrum ... lierit, cum nulla interuenerit, nulla ... pœna innocentem. Quid tibi perſuadet, quærit D. Gregor. munus eſſe prædicatoris, ... ſi vitia ſceleraque detruncare, ſecuri verbi Dei? quot ictibus nobiles percutimus, qui natura & ſtemmate ingenui, moribus ſunt abiectiſſimi? quoties diuites auaros cedimus immiſericordes? iudices ſollicitam ... neribus diſtrahentes? mulieres feminas ... liberas & impudicas? officiales ... bipenni fraudulentos? procuratores ... ſos? *Corripientes omnem hominem* (inquit D. Paul.) *vt perfectum exhibeamus omnem hominem in Chriſto Ieſu.* Quam ſerio ... ramos aridos, diruptos, & nociuos ... bet arboris amputare, vt munda ſit ... quæ ferat vberiores? ſieri vix aliter poteſt,

IX.

X.

quin aliquando, & ſæpius nobis ſecuris ferrum exſilijt, hoc eſt verbum, ſeu lingua, & eum læſimus qui omnis eſt expers ſceleris, generaliter nimis loquendo: verificationem inſtituamus, vtrum hic lateat inimicitia. Num vobis malum exopto? Numquid me offendiſtis? An mihi ratio ſubeſt afflictionis? Minimè gentium. verè etenim cum Apoſtolo dixerim: *Excepiſtis me ſicut Angelum Dei:* Nulla interceſſit animi ſimultas: ſi igitur minori dictum prudentia quàm par erat te vulnerauerit, ex induſtria factum non creditur, vnde à culpa excuſatur. Audiamus docentem Gregorium: *Ad ſyluam imus quoties conuertimur ad intuendam ſubditorum vitam. Succidimus ligna cum vitia pia intentione reſecamus. Sed ſecuris manum fugit, cum increpatio ſeſe pluſquam neceſſe eſt in aſperitatem pertrahit, & ferrum de manubrio proſilit, cum de correptione ſermo durior excedit, & amicum percutit & occidit: quia auditorem ſuum probata contumelia ſpiritu dilectionis interficit &c.*

IX. Quantò magis nobis millies contingit, quod D. Auguſt. ſibi teſtatur eueniſſe: dum enim die quodam Rhetoricam prælegeret caſu eo appulit amicus illius intimus Alipius, qui præter modum luſibus delectabatur Circenſibus, humani ſanguinis effuſione truculentis, in quibus viri toto corpore nudi in ſtadio gladijs eductis ſe mutuo trucidabant, ex quibus eum D. Auguſt. conabatur eripere: cum autem lectionem ſuam proſequeretur in exemplum adducit eius quod explicabat ludos Circenſes, eaque arrepta occaſione grauiter cœpit in eos inuehere, non magis Alipij ræ ordatus, quàm ſi in mundo non viueret. Credidit Alipius ſibi hæc omnia à D. Auguſt. dici, quod ipſe faſſus eſt, & conuerſus ad Dominum ait: *Tu ſcis Dom[i]ne Deus noſter, quod tunc de Alipio ab illa peſte ſeruando, non cogitaram.* Quotidie contingit hoc prædicatoribus, vt dum loquuntur in communi alius quiſpiam hæc ſibi dici opinetur, cuius prædicator nec minimam tunc temporis habuit memoriam. Si fortè, quia ſic locutus ſum, defectus aliquis fuerit aliquando in verbis meis, mihi credite, non hoc voluntas intendebat.

X. Hoc reliquum ſupereſt, in dignam receptæ gratiæ compenſationem: *Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratia eius.* Primò: diuinam exoro Maieſtatem, ne cum Quadrageſima pia terminentur opera, confeſſiones, communiones, eleemoſynæ, orationes, exercitia deuotionis quibus hactenus ſedulò inſudaſtis, ſed vt in diuina ſua vos gratia Deus conſeruet, hanc in vobis quam vidi deuotionem animi, feruoremque cuſtodiat. Et eandem cum Dauide Rege effundo orationem: cum enim omnes populi ſui conſpexiſſet, nobiles & plebeios, ſeniores & iuniores, Principes, & operarios ſingulari cordis alacritate ad fabricam contuliſſe templi aurum, argentum, ſtannum, coccum, hyacinthum, lapides pretioſos iuxta facultatis ſuæ qualitatem ad Deum conuerſus ita perorat: *Populum tuum qui repertus eſt, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria.* Domine mi, gaudium explicare nequeo quo delibutus exulto, quando populum hunc omnem adferentem vidi ea quæ ab ipſis expoſtulaueram ad nominis tui dignitatem amplificandam. Te deprecor clementiſſime Deus, vt nunc in illis animi ſtatum, voluntatem, ac pietatem perpetuò conſerues illibatam; ita vt ſemper ſeruire tibi ſtudeant, ſuaque tibi corda conſecrare, paratamque habeant obediendi tibi voluntatem: *Cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum & ſemper in venerationem tui mens iſta permaneat.* Hoc idem à Domino ſupplex efflagito, quatenus labor meus coram diuina ſua Maieſtate lucrum referat in compenſationem eius quo me beneficij deuinxiſtis: *Et nunc commendo vos Deo.* 1. Paralip. 29. 8.

XI. Singulis in particulari bene apprecatur.

Sereniſſime Princeps recepta beneficia de liberaliſſimis Celſitudinis tuæ manibus in Conuentu noſtro cum duplicatis eleemoſynis, quales talibus conueniunt manibus, noſtros omnes perpetua conſtringunt obligatione, quam par eſt vt continuis rependamus orationibus: & hæc parochia tantopere præſentia quotidiana V. Celſitudinis per totam honorata Quadrageſimam, in tanti beneficij memoriam, mille te cumulat grata benedictionibus. Ego vero pro mea parte ob acceptam gratiam, quâ me vermiculum & minimum ſuum eſt dignata ſacellanum, hoc vnicum & vnicè repetendo: *Commendo vos Deo, & verbo gratia eius.* Extendat Deus & amplificet diuinæ gratiæ ſuæ dexteram, tuamque Celſitudinem tot eiuſdem donis locupletet, quot in natura cumulauit, ſitque ſuis in actionibus, negotiis & rerum euentibus adeo proſpera ac beata, vt nomen Principis & magni Prioris Philiberti ſolamen ſit fidelibus vniuerſale, terror in mari terraque Chriſti nominis inimicis non tolerandus. Domini Iudices ſatis apertum omnibus eſt, quanti faciendus ſit fauor, quo me dignati ſunt, toto confluente Concilio, quoties vobis per negotia licitum fuit, meas audire conciones. *Et nunc commendo vos Deo:* qui vos efficiat adeo fideles, zeloſos, & animoſos adminiſtra-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

miniſtros, ſicut decet Dei miniſtros, & qui nouerunt, auctoritate & poteſtate præeminere, ſibi à Deo communicata. Nobiles qui tam feſtiuo concurſu cathedram meam circumcinxerunt: *Et nunc commendo vos Deo*: qui reddat illos ita moribus & anima illuſtres, quales ſe eſſe in natura gloriantur. Matronæ illuſtriſſimæ, valde illuſtres, & illuſtres debitor ſum ſilentio & deuotioni, quâ conueniſtis: *Et nunc commendo vos Deo*: qui vos tanta faciat in anima venuſtate conſpicuas, quanta in corpore fulgere concupiſcitis. Diuites qui tanta adſtiterunt attentione ſeduli conſilia percipientes Euangelica, manuſque ad eleemoſynas extenderunt non ordinarias: *Et nunc commendo vos Deo*: deprecans eum illa vobis tribuat viſcera miſericordiæ, quibus optabat Apoſtolus huius mundi ſolicitè diuites opulentiores. Pauperes, qui veſtris deficiendo facultatibus veſtræ vtilitatis auidi conciones frequentaſtis aſſidui: *Nunc commendo vos Deo*, qui conſtantem vobis tribuat patientiam, & aptum neceſſitati remedium. Popule honorabilis, & piiſſimi parochiani, qui voluptate probaſtis vos ſermones meos audire ſingulari: *Commendo vos Deo*: vt ipſe iis omnibus occurrat abundantiſſimè in quibus ego defeci, atque diuinæ eius gratiæ verbum omne reſtauret incommodum, omnes reparet rupturas, illuminet intellectus, inflammet voluntates, dirigat actiones, greſſus deducat, negotia ſecundet, ſcelerib. ignoſcat, gratiam in hac vita largiatur & in altera gloriâ coronet ſempiterna, Amen.

# SVMMARIVM

## HOMILIÆ QVINQVAGESIMÆ SEQVENTIS.

MYSTICAM continet S. Euangelium ſermocinationem, quam Chriſtus Dominus habuit cum inſigni illo magiſtro legis, & Principe Synagogæ Nicodemo, circa ſubtilem veritatis Theologicæ quæſtionem, quam noſſe deſiderabat, vt certam cæli viam agnoſceret. Hanc Dominus orditur illi prælegere primam collocans fundamentum; neceſſariò nouam requiri eſſentiam, nouam natiuitatem, nouam vitam, homines nouos nouamque regenerationem. *Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt introire in regnum Dei.* Enodat Chriſtus difficultatem, quam Nicodemo propoſita doctrina pariebat, & pro ſolutione diſputat de Eccleſiæ ſuæ fundatione: quæ mundus nouus eſt & ſpiritualis. In ſancta verò Cruce eius ſtatuit firmitatem. Vt autem hoc illi ſignificet alludit ad hiſtoriam quam refert Spiritus S. in L. Num. c. 21. de populi illius ſeditione, tot tantiſque receptis beneficiis ingratiſſimi, quibus eum Dominus cumulauerat, dum illi de petra aquam educit, vt mel dulciſſimam & panem de cælo Angelicis piſtum manibus, aliaque quàm plurima. Nedum debitas Deo laudes dedit ſed inſuper totus in ſeditionem verſus populus aduerſus Deum detractione mordax non toleranda, panem ab illo receptum aſpernatur. Et Manna faſtidiens, diuinæque turpiter potentiæ derogans, ait: In fraudem nos Deus induxit, dum de Ægypti ſeruitute vendicauit. Tantam ſic Deus impudentiam eſt execratus, vt ad ſupplicium culpæ conforme in populum ſerpentes miſerit ignitos, à quibus morſi viuo igne ſuccenſi deperibant, tum facti pœnitentes ad Moyſen recurrunt, Moyſes autem ſupplicem Deo pro populo libellum offert, rogatque indulgentiam. Ignoſcit populo Dominus, atque in tanti mali remedium ſerpentem iubet erigi æneum in ſtipite, quatenus illum à ſerpentibus morſi aſpicientes priſtinam ſalutem aſſequerentur,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN